

17
DISSERTATIO INAUGVRALIS
DE
SANGVINIS MISSIONE
IN PLEVITIDE,

QVAM

SVMMI NVMINIS AVXILIO,
GRATIOSO MEDICORVM ORDINE FAVENTE,
P R Æ S I D E

VIRO EXCELLENTISSIMO EXPERIENTISSIMOQVE
DN. CHRISTIANO STEPHANO
SCHEFFELIO,

MED. DOCT. ET PROF. PVBL. REG. ORD. CELEBERRIMO,
FACVLTATIS SVÆ DECANO ET SENIORE, NEC NON TOTIVS
ACADEMIÆ CONSENIORE GRAVISSIMO,
FAVTORE AC PRÆCEPTORE ÆTATEM DEVENERANDO,

PRO SVMMIS IN MEDICINA HONORIBVS CAPESSENDIS
AD DIEM IX. NOVEMBRIS MDCCXLVII
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT
AVCTOR

JOHANNES CASPAR SCHEURING
GRYPHISWALDENSIS.

GRYPHIÆ LITTERIS H. J. STRÜCKIL

17

DISSERTATIO INVALENTIALIS
DE
SANGVINIS MISSIONE
IN PLEURITIDE.

AVM
SVMMI NYMINIS AVXILIO
GRATIOSO MEDICORVM ORBIS ILLVSTRATIS
P R E S I D E
VRO EXCELLENSSIMO SYLVESTRO
DR CHRISTIANO STEPHANO
SCHNEFFELIO
MED. DOCT. ET PROF. PUBL. REG. ORD. CUIUSBET
FACULTATIS SVB DECANO ET SENIORE SAC. THEOL. SVB
ACADEMIAE CONSORSIO ORATIONIS
PANTONE AC INSTRUCTORI PLEURITIDIS
PAC SVMMIS IN MEDICINA HONORIBUS CARRERIBUS
AD DIEBVS NOVEMBERIS MDCCLXXII
PABLO TERTIO M. XAVIERI SVMMI
AVTOR
JOHANNES CASPAR SCHNURRING

GRYPHUS LITTERIS N. J. STRUCKH.



ILLUSTRISSIMO
COMITI AC DOMINO
GEORGIO GYLLENSTIERNA

COMITI A BIÖRCKSUND ET HELJÖ
DOMINO A THORÖNSBORG, HERBORUM,
LYCKAS, MASTENA, FULLERSTAD
ET ELFSIÖ.

AUGUSTISSIMO SVECORUM REGI A CUBICULIS

DOMINO SUO GRATIOSO.

ILLUSTRISSIMO
COMITI AC DOMINO
GEORGIO GYLLENSTRERNA
COMITI A BIRCKESUND ET HELSINGBORG
DOMINO A THORSBORG, HERRINGHOLM,
LYCKENS, MASTERS, TUNBERG, ET
AUGUSTINO SVEGONUM REGI A CURIA
DOMINO SUO GRATIOSO.

ILLUSTRISSIMO
COMITI AC DOMINO
GEORGIO GYLLENSTIERNA

S.

J. C. SCHEURING.



*odant anxie; quousque volent,
ungues, pagellas, cui magnorum
virorum sacras esse jubeant, suas, discordi
consilio agitati, eoque tandem inito crispa
fronte oculisque in altum retortis, excusa-
tionum, nescio unde, conquirant formulas!*

Non

OMIZIATZUJII
Non ego ita: Ex quo enim ILLUSTRIS-
SIME DOMINE COMES, singulari Tua gratia,
qua Halæ, inclyta illa Musarum sede, in
me perbenigne propendebas, florui, pieta-
tis jam hocce, observantia gratique animi
monumentum, TIBI, Tuo nutu confirma-
tus, decrevi. En itaque DEVENERANDE
MÆCENAS! quod infinita benefactorum
series, præclara prorsus Tua in me merita,
meaque in TE obsequiosissima studia suo
quodam jure flagitant. Jam vero, me
paululum in ideis suspensum, quo verborum
cultu pro argumenti dignitate in laudum
Tuarum præconia exspatier, grata vis, cui
obniti nefas duxerim, in beatissimi illius
temporis recordationem rapit, quo TIBI
quondam adparere officiosissime mihi da-
tum, TEque propter egregias animi vir-
tutes, ingenii magnitudinem, exquisitissi-
mam eruditionem, summamque in summo
genere

genere nato, humanitatem, cum maximis
illuſtriſſimæ Gentis Tuæ Heroibus conjun-
gendum, admirari, juxta inde, abſolutiſſi-
mum Exemplar, TE tantum ducem haud
ſine ingenti fructu, impari quamvis gradu
pro tenuitate mea in doctrinæ ac virtutum
ſtadio ſequi præeuntem. O dulciſſimam
memoriam, quæ quoties recolitur, nova
ſemper voluptatis acceſſione, ſenſus mirifice
demulcet! Aſt delatus hac ſimul opportu-
nitate in campum eumque immenſum, ubi
innumera in me effuſa beneficia obverſan-
tur oculis, tantum me TIBI debere pro-
fiteor, ILLUSTRISſIME DOMINE COMES,
quantum ſempiterno licet ſtudio proſequi-
turus, ne verbis quidem, ne dicam re ipſa
æquare poſſum. Sint igitur gratæ men-
tis indicia, quæ adorando ſupplex remu-
neratorem ſummum, pro Tua perenni inco-
hunitate ac ſalute proſpera fundo & dum
vita

vitam mihi contigerit, fundam, ardentissima
vota. Immortali meritorum Tuorum glo-
ria, quam diutissime intersis, illustremque
Progeniem cuius in TE residet salus, no-
vis subinde ut maximarum virtutum ita
splendidissimi Nominis hæredibus auctam,
viridi senectute letus videas, ea, quæ in
devotissimum TUI cultorem, cadere ma-
xima potest religione precor. Cæterum
valeas, meque ulteriori Gratia Tuæ com-
mendatissimum habeas, humillime
optarim, rogarim.

Gryphiæ A. P. C. N. CID ID CC XXXXVII.

5. Non. Novembris.

DISSERTATIO MEDICA
DE
SANGVINIS MISSIONE
IN PLEVITIDE.

CAP. I.
DE SANGVINIS MISSIONE.



§. I.

Remedia inter alia, quibus peccanti sanguini obuiam ire cupit medicus, artificiosa illa, ope instrumenti chirurgici, sanguinis ex suis vasis evacuatio, quae nobis *Sanguinis missio* audit, haud infimum occupat locum. Triplicem vero sibi plerumque praefixum habent scopum, qui sanguinem mittunt, *Imminutionem*, *Derivationem* & *Reuulsionem*.

§. II.

Evacuatur sanguis & *arteria* & *vena* secta: usu vero magis solemne venam, quam arteriam pertundere: Hinc in sequentibus §§. sanguinis missionem & venæsectionem, pari acceptas esse valore, non est quod mireris: a potiori enim denominationem fieri, usu invaluit. *Scarificatio* & *Hirudinum applicatio* vices venæsectionis sustinent.

A

§. III.

§. III.

Non ab incunabulis suis primis sanguinis missionem fufus repetam, quum ab Hippopotamo, illam mortales accepisse, fertur; de quo videas *PLINII Historiæ naturalis Cap. 26. Lib. VIII.* Nec ad liquidum perducam, an *PODALYRIUS*, Æsculapii filius, primus ea usus fuerit, hacque ratione Damœthi regis filia labefactatam restituerit sanitatem, & fostri loco filiam regiam cum dote Chersonesi Caria in matrimonium duxerit: consulatur *LE CLERC Histoire de la Medecine L. I. cap. 17. § 18.* Silentio etiam premam odii amaritudinem, qua usus aduersus venæsectionem pertinacissime, multis ab hinc retro seculis, superbus *ERASISTRATUS* & majorum nostrorum memoria *HELMONTIVS* fremitu acerrimo, quo elogio illos exornat *GVALT. HARRIS Diff. med. Schirurg. p. 102.* Majoris momenti erit, eo summa ope niti, ut præsentî capite, verus ac certus evictus reddatur sanguinis missionis finis, quoque tempore & loco illa adhibenda sit. Res, quæ diu ducta fuit per altercationem inter artis doctores.

§. IV.

Vitalem undam, quæ perenni, per canales corporis nostri, circumvolvitur motu, legibus fluidorum subjectam esse, palam est. Motum hujus fluidi, a reciproca cordis & arteriarum actione, ortum ducere ac foveri, inter omnes constat. Inquirenti itaque in finem, ex venæsectione emanantem, incumbit, non ad directionem & tractum solum vasorum, sanguinem vehementium, mentem & oculos depositos habere, sed etiam ad robur cordis & arteriarum vim animum attendat, necesse erit. Sic sanguinis missionis finis, argumentorum robore, ex legibus fluidorum & vi cordis arteriarumque desumptorum, suffulcitus, verus ac certus est deprædicandus, qui eo firmiori stabit talo, si altero artis nostræ fulcro, experientia, firmabitur.

§. V.

§. V.

Purpureum corporis humani liquorem, quando manum exposcit medicam, vel *quantitate*, vel *qualitate*, vel *motu*, vel *loco* peccare, pathologia exponit.

§. VI.

Quando in *quantitate* sanguinis hæret culpa, illa est vel *excedens*, vel *deficiens*: si *excedit*, dicitur *Plethora*; si *deficit*, *sanguinis paucitas* vocatur. In utroque hoc sanguinis statu, ratione mixtionis, concipi potest vel sanus vel morbosus: priori tunc loco dicunt, plethoram ac paucitatem sanguinis esse *sinceram*, posteriori vero *cacochymicam*, id est male mixtam.

§. VII.

Non quantitatem sanguinis in genere, sed quantitatem accusamus excedentem, ita ut semper loci, in quo movetur, simul respectus sit habendus. Talis plethora semper morborum catalogum, quamvis plurimi illam inde ejiciant, augebit. Hinc optime HIPPOCRATES: *Sanguis qui abundat, valetudinem vitiat*. Hæc est *absolute* sic dicta plethora, ab altera distincta, quæ *respectively* sumenda, quando quantitas, capacitatem vasorum non superat quidem; verum major est, quam quæ a vitali debili vi commode propelli queat. Hanc plethoram *ad vires*, dum prior *ad vasa* audit, schola vocat.

§. VIII.

Si decens proportio particularum, sanguinem constituentium, læsa est, qualitas ejus vitio laborat, quod vitium *Cacochymiam* appellant. Sanguis tunc ut plurimum solito *spissior*, vel *tenuior* erit. Hoc vitium excipit *motus depravatus*, cum vel rarefactus, motu rapitur celeriori, vel condensatus & viscidus, lente tardeque repit; aliud motus vitium adhuc numeratur, si peculiari *stagnat* loco. *Loco* denique

A 2

peccat,

peccat, si eo penetrat, ruptis suis vasis, quo non penetrare debebat, quod *Extravasationem* vocant, vel quando integris vasis v. g. globulus sanguineus rubicundus in vas non sanguineum devolvitur, quod *error loci* dicitur.

§. IX.

Excedenti copia auctus sanguis, cor & vasa sanguifera dilatando agit: hinc actio sanguinis in vasa est major: inde reactio vasorum in sanguinem itidem quidem major; verum cordis & arteriarum contractio tardior. Hæc reactio vasorum major, motu cum tardiori juncta, edit omnes effectus fluidi, motus tardioris vitio imbuti, id est, tales quam proxime futuras mutationes, quales sibi relicto & quiescenti sanguini accidunt: pars scilicet tenuior, arctius coeunte crassiori, dissipatur: hinc sanguis residuus crassus, vasa subire secretoria nequit: læditur ergo se & excretio. Sanguis hic spissus factus, arteriarum extremitates non rite permeans, facile subsistit obstructionemque parit, auget resistantiam quæ cordis arteriarumque vi systolicæ, a vasis, ulterius cedere nescientibus, objicitur. Expansa plus justo vasa, facile ulterius, quam fas est, globulos sanguineos penetrare permittunt, sicque ad statim concipiendam humores invitant. Dilatata hæc vasa, comprimendo, quibus circumdantur, nervos, fluidi nervei in fluxum impediunt: diu quoque ultra modum expansa vasa, elasticam deponunt virtutem: hinc robur vasorum evadit elumbe & enervatum, tonusque sic dictus depravatus, multorum morborum fecunda exsurgit mater.

§. X.

Plethoræ e diametro opponitur paucitas sanguis. Hinc vasorum non rite expansorum diameter sensim decrescit, in suis extremitatibus vasa nimis collabascunt. Quantitate hic defi-

deficiens sanguis, ad eam, quæ decet, cordis arteriarumque expansionem insufficientis, dictorum vasorum contractionem consuetam turbat: læditur inde sanguinis motus progressivus, hinc partium, massam sanguineam efficientium, cohæsiō debito major, qua transitus per vasa secretoria sufflaminatur, tam ob partium secernendarum visciditatem, quam orificiorum secretiorum exiguitatem: fiunt ergo sanguinis lymphæque stases, viscerumque infarctus.

§. XI.

Enarrata hæc §. IX & X, quantitatis vitia, cum qualitate morbosâ junctâ esse posse, nemo inficias ibit §. VI; quin imo sua radiat luce, vitia quantitate, qualitatem haud multo post illibatam ac incorruptam servari posse: motus quoque errores a quantitatis qualitatisque peccatis raro erunt se jungendi.

§. XII.

Sanguinis missio seu venæsectio, sanguini aberranti, remedio esse debet, §. I. hic quantitate vel excedit, vel deficit §. V, facta sanguinis missione, fit ejus evacuatio §. I, hæc sine massæ sanguineæ imminutione conceptum fugit: primus ergo sanguinis missionis finis, qualibet venæsectione semper obtinetur. Verum *quo jure locum habet?* Effectus §. IX. expositi, abundantanti quantitati sanguinis natales suos debent, hinc copia sanguis excedens, eorum causâ dicendus; sanguinis missione, massæ sanguineæ imminutionem impetramus, hinc id, quod massæ erat superfluum detrahitur; sublata sic causâ, effectum cessare necesse erit: quicquid ergo causam mali tollit, remedii nomine insigniri potest: in corpore itaque, mole sanguinis nimia onusto, jure sibi venæsectio vindicat locum. Quia quoque nulla alia medicina, tam cito & tuto, plethoram solvit, quam V. S., merito convenientissimum hoc casu, judicatur remedium. Sit præterea qualitate sua corruptus sanguis,



copia auctus; & hic quoque, effuso cruore, in ordinem redigitur: Plethora enim ut fons, unde emanaverat cacochymia, considerari potest §. IX & XI. Motu vero sanguinis, per canales suos, naturali legi conformi, venæsectione instaurato, se- & excretio relictum subeunt officium, materiæ morbificæ fores aperiendo ac eandem eliminando, cui, ipsa sanguinis missione & imminutione, vires jam admodum fractæ erant.

§. XIII.

Existente & a justa sua copia decedente sanguine, §. X. adducti effectus, caput extollunt; imminutam sanguinis quantitatem pro causâ agnoscentes: V. S. semper comitem habet quantitatis imminutionem, §. *antec.* instituta nihilo tamen minus in tali subjecto sanguinis missione, prono fluit alveo, eandem causam mali fœcundiorem evasuram fore. Quicquid vero causæ mali novas affert suppetias, morbum non tollit, hinc V. S. in paucitate sanguinis de jure non occupabit locum; quæ adeo magis erit respuenda, si simul debita sanguinis qualitas, cum quantitate deficit. Hinc practicus felicissimus, THOM. SYDENHAM in *Praxi sua p. m. 61.* inquit: *Quoties mihi cum ægris res est, quorum sanguis vel per se imbecillior existit, (uti fere in pueris) vel jussa spirituum copia destituitur, (ut in decliviori ætate, atque etiam in juvenibus diuturno aliquo morbo confectis,) a venæsectione manum tempero. Enimvero si phlebotomiam his imperarem, sanguis, etiamnum citra ejusmodi imminutionem plus satis debilis, despumationi suæ obeundæ prorsus impar redderetur; unde totius massæ perversio ac proinde forsân ipsius ægri interitus sequeretur.*

§. XIV.

Fingamus corporis rectam ac debitam, quantitatis & qualitatis intuitu, massam sanguineam: hinc actio fluido-

fluidorum in vasa, & horum in fluida reactio, efficit sanitatem, quae in mortales cadit, optimam. Vena cum tundatur tali subiecto, confestim temeraria & absorta se prodit audacia, qua in sanitatem favitur. Sanis non opus esse medico, divinum est essatum. Missio nihilo fecius sanguine, corpus mala incurere debet omnia, a paucitate sanguinis alias expectanda. Sed sit sanguis quantitate integer, ratione miscelae depravatus; nec euacatio sanguinis hunc corriget: transit quidem cum emanante sanguine materiae morbificae pars; remanens vero cum paucio sanguine, qui non ita multo post se- & excretioni obicem ponit §. X. majori vi corpus perturbabit, quare nec hisce positis circumstantiis, corpori, sanguinis missione medicina paratur. Ex his clarum & conspicuum est, quam male sibi consulant ii, qui quotannis, nulla necessitate coacti semel aut bis sanguinem mittunt: hi dum sanitatem conservare student, ipsam destruunt, & corpus medicae subijciunt servituti. Quam caute cum sanguine mercandum sit, illustr. b. FRIDER. HOFFMANNVS in *Med. Syst. Tom. IV. P. V. p. 529.* inculcat: *In sanguine nisi nimium exundet, virium laeret thesaurus, qui si supra modum subtrahitur, minima viscerum concidunt & angustantur, unde & utilium succorum secretio & inutilium excretio imminuitur.*

§. XV.

Quando massa sanguinea, alias sana, cursu circumagitur celeriori, fit attritus tam partium solidarum inter se mutuo, quam ad vasorum latera maior; unde erumpit calor naturali maior, qui porro producit partium, sanguinem constituentium, cohesionem, consueta laxiorem, quae *rarefactio sanguinis* vocatur. Rarefacti sanguinis partes a se invicem secedunt: hinc majus ac antea occupant spatium; quod

quod sine vasorum expansione fieri nequit: expansio vasorum erat effectus plethoræ §. IX, quare hac ratione, pari cum illa, ambulat passu. Sanguis vero dum hic celeriori rapitur motu, fit turgidus & resolutus: plethoricorum autem sanguis, ubi, posita eadem vi cordis, tam quantitas movenda, quam resistentia ab extra major adest, tarde necessario movetur: hinc arctior particularum, sanguinis massam constituentium, fit cohesio, quæ differentiam plethoram inter & rarefactionem constituit. Præsente hoc sanguinis rarefacti statu, vena dum necatur, imminuta quantitate, spatium sanguini in vasis redditur maius; hinc a residuo, dum quodvis punctum explere non potest, expansio vasorum evadit minor: quare horum actio in sanguinem quoque fit minor: actio vero vasorum in sanguinem major rarefactionem fovet: hæc vero sanguinis missione sublata est: hinc V. S. tali statu admittenda.

§. XVI.

Nos nobis non constantes esse videmur, quando iuxta quantitati sanguinis aliquid detrahere nolumus §. XIV., in rarefacto vero sanguine, ubi debita quantitas adest, ejus missionem permittere volumus, qua tamen defectus causatur. Probe etiam memores sumus, medicinam haud aliis destitui remediis, ad sanguinis luxuriantem motum sine jactura sanguinis compescendum. Hæc tamen nimis lento in sua operatione vadunt gradu. Offerunt se enim casus ubi vitæ discrimen in mora versatur, quo temporis puncto ex duobus malis, minimum eligendi, medicus libertate gaudet. Sic in gravi inflammatione, insigni febrili æstu stipata, adeo effreno ruit sanguis motu, ut non vano quis augeretur metu, tenerrima, in quibus obstructio hæret, vascula, brevi destrui posse, vel sanguinem ejusque serum coagulatum iri in massam, nulla arte

arte postea solubilem. Tali rerum facie medicamentis, quæ pedetentim febrilem suffocant æstum, sero medicina paratur, quare tunc heroico conamine vena erit aperienda, quo nimius sedetur calor. Venæsectionem esse præstantissimam ad extinguendum calorem, exinde apparet evidentissime, cum pro lubitu, misso sanguine, corpus refrigerare, quin ad extremum frigus, mortem innuo, perducere possumus. Solidum de tali ausu, audias medicorum Ciceronis, latinissimi CELSI, iudicium, quod *Lib. II. Cap. X. p. m. 79.* sic tulit: *Fieri tamen potest, ut morbus quidem id desideret, corpus autem vix pati posse videatur: sed, si nullum apparet aliud auxilium, periturusque sit, qui laborat; nisi temeraria quoque via fuerit adjutus, in hoc statu boni medici est, ostendere, quam nulla spes sine sanguinis detractioe sit; faterique, quantus in hac ipsa re metus sit; & demum, si exigatur, sanguinem mittere. De quo dubitare in ejusmodi re non oportet. Satius enim est, anceps auxilium experiri, quam nullum.*

§. XVIII.

Vt umbra corpus, sic motus vitia, tam quantitatem, quam qualitatem sanguinis morbosam, comitabuntur: quare quilibet ex antecedentibus facili colligere poterit negotio, quales circumstantiæ requirantur, si sanguinem rarefactum V. S. ad justos obsequii cancellos redigere, segniori autem in plethora motui calcaria subdere valeat. Idem observatione dignum, quando sanguinis motus sic est læsus, ut peculiari stagnet loco: quo casu, nisi plethora urgeat, aut rarefacti sanguinis nimius impetus periculum vasis minitet, rationes, prægressis §§. euictæ, sanguinem mittere vetant. Loco denique si errat, seu extravalatio adest, & locus & reliquæ non contra indicant circumstantiæ, proxima salus ab incisione loci,



quo extravasatum haret, est speranda. Is vero error loci, quo globuli sanguinei rubri in serosis hærent vasis, venæsectionem eadem sub conditione, qua modo dictus motus læsus, vbi peculiari stagnat loco, admittit.

§. XVIII.

Hæc, quæ huc usque adduximus, ad primum sanguinis missionis finem, *Imminutionem* puto, eruendum ac stabilendum, collineant. Inseparabili imminutio cum euacuatione jungitur nexu §. XII. hinc & soli plethoræ & rarefactioni, limitibus suis circumscripta, dicata esto §. XVI. Reliquæ vero sanguinis vel quantitatis vel qualitatis imperfectiones misso sanguine in peius ruere §. XIII & XVII docet. Ea quæ sequuntur *Derivationis* & *Revulsionis*, eatenus, quatenus ab euacuatione sanguinis proficiuntur, rationes explicabunt.

§. XIX.

Derivationem sanguinis vocamus accelerationem motus sanguinis in parte quadam affecta, mediante venæsectione obtinendam. *Revulsionem* dicimus motus sanguinis imminutionem in parte affecta, per accelerationem motus in parte quadam ab affecta remota, secta ibi vena acquirendam.

§. XX.

Motus quando celeritate crescere debet, resistentia vel ejus auferenda, vel saltem imminuenda. Resistentia, quæ sanguini, a corde ad partes properanti, fit, dependet etiam a pondere sanguinis venosi, versus venæ radices prementis. Per venæsectionem, fit euacuatio sanguinis: sanguis, dum per vulnus insictum effluit, cessat suo pondere versus venæ radices premere: hinc transeunti ex arteria, venæ sectæ continua, sanguini aufertur resistentia, ergo celeritas hoc in loco crescere debet: hinc in parte, ubi vena inciditur, concipi potest derivatio.

§. XXI.

§. XXI.

Datur quidem derivatio, §. *antec.* verum, an fit ad id, cujus gratia instituitur, sufficiens, nunc inquirendum venit. Sanguis dum per vulneratam effluit venam, cessat quidem versus venæ radices pondere suo premere, sicque acceleratio sanguinis motus hac in parte fit; verum hic evacuatus sanguis, viam suam ad cor consuetam non repetit: hinc residuus sanguis venosus, ad dextrum cordis thalamum rediens, spatium, quod missus per venæ sectionem sanguis occupare debuit, occupat, hinc minor evadit resistentia, quæ adfluenti ad cor sanguini accedit: ab omni nunc corporis puncto venæ ad cor sanguinem revehunt, ergo resistentia in toto systemate venoso, ratione quantitatis & impetus affluentis sanguinis habita, imminuitur, hinc in universo canali arterioso sanguinis celeritas crescit. Positum est in aprico, hæc, quæ de motu sanguinis, in parte quadam, aperta vena, accelerato, jam exposuimus, a directione vasorum sanguiferorum dependere, nulla habita ratione ad illarum vires & cordis robur, quarum tamen vis in movendo sanguine eminentissima hic in censum venire debet §. IV. quare sua fluit sponte, in tantum crescere celeritatem, in quantum robur cordis & arteriarum crescit.

§. XXII.

Quum itaque motus sanguinis in parte quadam non potest celerior evadere, nisi, brevi temporis interjecto spatio, per universum corpus celerior fieret, §. *antec.* sequitur, derivationem si admittimus, primis tantum venæsectionis momentis, esse admittendam: hinc illam etiam parum differre a celeritate, quæ per imminutionem sanguinis, alio loco secta vena, impetratur. Meta, ad quam tendere debet derivatio, est excussio stagnantis in extremis arteriolarum humoris: quare

ea vena est secunda, cui arteria, in cujus ramis hæret obstructio, est continua. Ex apertura majori venæ sectæ, majori impetu & quantitate profilit sanguis, hinc & sanguis ex arteria, venæ sectæ anastomosi junctæ, celerior transit in venam sectam: hinc staseos discussio facilius obtineri potest hac ratione, ut, vi urgentis a tergo sanguinis, globuli sanguinei obstructores in venam propellantur, exindeque incisura venæ fiat satis magna, eaque adhibeantur, quæ impetum exeuntis sanguinis adjuvant, v. c. tussis arte facta. Stasis in fieri, confirmata jam, faciliori discutitur negotio: hinc si per derivationem illam resolvere optas, primis statim diebus, quin primis horis, id fieri, necessitas requirit: Quantas vero, & quo loco, stasis radices egerit, pro certo ac comperto habere non possumus: hinc nec certo determinare possumus, an jam in hac parte motus auctus sit tantus, quantum ad obstructionem referendam requiritur. His itaque ex causis dubius est derivationis effectus.

§. XXIII.

Eventus derivationis cum sit dubius §. *antec.* alii alia incedunt via, instituendo venæsectionem in parte, ab affecta, remota, persuasum sibi habentes, aucta hic motus celeritate, illum, in affecta imminutum iri. Motus vero sanguinis non acceleratur in parte quadam, nisi hæud multo post per universum crescat corpus §. XXI. hinc dum in revulsione, motus celeritate evadit major, in parte ab affecta remota; brevi post in ipsa affecta major erit. Cum vero motus crescit per revulsionem, qua tamen minui debebat, revulsio talis non erit expectanda. Respiciatur ad motum sanguinis, qui illi a cordis & arteriarum potentia conciliatur; sole meridiano clarius est, impetum sanguinis in loco non posse imminui, nisi vis cordis & arteriarum imminuta fuerit: hac vero imminuta, impetus
sanguini-

sanguinis in universo corpore, decrefcit: ergo nec sic quidem in parte quadam fpcciali impetus imminutio obtineri potelt.

§. XXIV.

Imminutio itaque fanguinis motus in parte quadam fpcciali obtineri nequit §. *antec.* Imminutio autem motus, nifi cordis & arteriarum vis debilitetur, locum non habet: & hac facta, impetus imminutio eft univerfalis. Hæc imminutio impetus, cum imminutione maffæ fanguineæ, in quavis venæfcctione, quatenus fufficit ad debilitandum cordis arteriarumque robur, femper conjuncta eft; hinc nec datur revulfio univerfalis, nec fpccialis, ab imminutione impetus, quæ fanguinis miffioni folemnis eft, diverfa.

§. XXV.

Verus, proximus ac certus fanguinis miffionis finis eft imminutio maffæ fanguineæ, cum derivationis vis fit dubia §. XII., & fpccialis revulfio non datur, & fi univerfalis dicenda, ab imminutione maffæ fanguineæ non diverfa §. *antec.* hinc parum follicitus effe debet medicus, quando neceffitas fanguinis miffionem efflagitat, quo loco vena aperienda fit, modo vena fitu fuo ad fecandum fit apta: perinde itaque erit, venam brachii vel pedis, obfervata reliqua ad fecandum dexteritate, incidendam jubere: nifi in inflammationibus, primis diebus dum ftasis refolubilis judicatur, derivationi aliquid concefferis: de qua, felici temporis puncto inffituta, effectus conspicuos emanaffe, virorum in arte clariffimorum exftant testimonia.

§. XXVI.

Affentum non denegamus noftrum, revulfionem, miffione fanguinis factam, explicantibus per retroceffum partium fanguinearum, obftructionem facientium, a vi arteriæ



elastica restituta. Hanc revulsionem evenire a sola imminuta quantitate sanguinis, indeque non specialem sanguinis missionis postulare locum, ratio & modus, quo peragitur, euincit. Major enim sanguinis quantitas, seu plethora, elaterem vasorum destruxit obstructionemque peperit §. IX; imminuta sanguinis quantitate, redit arteriarum elasticitas, qua simul movendo sanguinem ab apice ad basin agunt: hac ratione globulos obstruentes retrocedere cogit arteria: novus a corde impulsus sanguis retrocedentes jam rursus ad arteriæ fines pellit, donec tali nixu & renixu ita dividantur moleculæ obstruentes, ut commode venam intrare possint. Hoc vere ita fieri confirmat jucundum LEEUVENHOECKII spectaculum, quod oculis suis armatis contemplatus est & in *Contemplationibus suis* refert: In vespertilionis, frigore intensiori rigescentis, tenui alarum membrana, nullum in vasis vidit sanguinis motum, redeunte vero motu, globuli sanguinei in oblongam figuram concreti, totam arteriæ cavitatem occupantes, mox per arteriam propellebantur, mox a contracta arteria retropellebantur, hocque ita ac reditu per tempus iterato pristinam accipiebant figuram ad transeundum in venas aptissimam. His consideratis edocemur, cur medentes artificiose studeant, hanc arteriarum viuidam contractionem, quam primum fieri potest restituere & vario ausu illum adjuvare cupiant: hinc largiter, & ad animi usque deliquium, sanguinem mittunt, & præsertim in illo casu, ubi a stasi multa subsequutura mala ominantur, vel perfricant locum ubi dolet, vel forti inspiratione & lenta expiratione impetum sanguinis novum frangere tentant.

§. XXVII.

Ea, quæ huc usque in medium protulimus, fundamentis, a ratione petitis, superstructa esse putamus: nullo autem modo verita-

veritatum medicarum titulo superbire possent, nisi & experientiam sibi amicam reddidissent. Ex antiquorum medicorum ordine CELSVS supra memorato loco, pro suo sanguinis motum concipiendi modo, pulchre hos ludit, qui sanguinem a parte quadam ad aliam trahere cupiunt. *Non ignoro, inquit, quosdam dicere, quam longissime sanguinem, inde, ubi ledit, esse mittendum; sic enim averti materiae cursum; at illo modo in id ipsum, quod gravatur, evocari. Sed id ipsum falsum est; proximum enim locum primo exhaurit: ex ulterioribus autem eatenus sanguis sequitur, quatenus emittitur: ubi is suppressus est, quia non trahitur, ne venit quidem.* Irritus ac infelix, qui revulsionem optantibus accidit, eventus, militat pro revulsionis effectum, quem intenderunt, enervando. Nullus fere est morbus, in quo magis solliciti sunt medici, in determinando venæsectionis loco, quam in illo, ubi lunare tributum non rite persolvitur. Finxerunt enim sibi regulam, quando certa dies adest, nec debitum reddatur, tunc venam brachii secandam: quando vero solvitur, sed de summa aliquid detrahatur, aut casu quodam fatali interceptur solutio; tunc in pede venam incidendam esse. Talpa esset cæcior, qui non statim videat, effectum menses pellendi, sanguini, vena brachii aperta, emisso tribui; attamen insufficienter hoc auxilii genus esse putant in interceptis restituendis, vel parce fluentibus liberalius evocandis: quo adhuc accedit, quod nimium fluentes menses, venæ brachii sectione coercere quoque studeant; sicque duos effectus sibi contrarios ab uno eodemque exposcunt remedio. Vulgaris admodum viget opinio, vena pedis pertusa elicere menses: verum huic jam sua ætate observavit contrarium AMATVS LVSITANVS *Curat. med. Cent. VI. Obs. 28.* ubi asserit: venæsectionem in brachio menses potenter pellere: ac RIVERIVS, curationum gloria fat

fat celebris, *Cent. I. Obs. 2.* memoria prodidit feminæ, cui-
dam toties cohibita fuisse menstrua, quoties vena malleoli
secta fuerit: contra sanguine ex vena brachii emisso, mensēs
largius profluxisse. Argumentum ab inopia observationum
quod V. S. revulsionis causā in pede instituta, sine aliis adhi-
bitis remediis, mensēs provocaverit, ad revulsionem impro-
bandam, adductum expositumque videas in D. D. KVCHLERI
Dissert. de Vsu V. S. in pede fallaci Lips. 1742. habita. Ex-
perientia itaque minime conciliat fidem revulsioni in speciali
loco instituendæ, quin multo magis nostram confirmat sen-
tentiam. Misera sana esset virginum conditio, ubi a vete-
ribus accepta opinio virgini vitio vertit, si sanguinem ex pede
miserit. Hujus moris expertus beatus praeceptor D. D. Schulze,
olim, cum Altorfinam academiam doctrina sua illustraret,
graviter familiam se offendisse narrabat, virgini venæsectio-
nem in pede imperans.

§. XXVIII.

Sanguis ergo non est mittendus, nisi abundantia sua va-
letudinem vitiat, aut quando, sub data conditione, motu lu-
xurians est §. XVIII. Imminuta tunc per venæsectionem ejus
quantitate, commoda, inde redundantia, conceptu sunt fa-
cilia; residui scilicet, effuso superfluo, minor actio in vasa,
quare cum hæc actio erat adeo magna, ut transgrederetur
fere vim, qua vasa in pristinum se restituunt statum §. IX.
instaurata jam elasticitate vasorum, & debita fluidorum &
solidorum in se mutuo actione, omnes corporis actiones rite
peragi incipiunt. Partium tenaciter coherentium major fit
attritus, hinc calor, indeque resolutio, quare sanguis, antea
spissus & viscidus, fluidior, ex hac quoque recuperata fluidi-
tate se- & excretiones reviviscunt. Imminuta sic quantitas sola
jam sufficit stasibus solubilibus referendis. In rarefacto autem
sanguine,

sanguine non sub evacuatione solum, magna particularum ignearum copia avolat, sed, evacuatus, dum remanenti locum cedit, quem occupare hic insufficiens est, vasa antea expansa se contrahere, minoremque in sanguinem exserere actionem facit; contracta sic quoque in suis extremitatibus cerebri vasa minorem pariunt spirituum animalium secretionem, ad motum sanguinis necessariorum, sic & tali ratione motus compefcitur turgidus.

§. XXIX.

Hirudinum suctione §. II., sanguis ex suis vasis artificiose educitur, horumque usus in hæmorrhoidibus aperiundis præsertim viget, quare tunc, ut species sanguinis missionis, considerari debet. Qualia de his animalcula sint colligenda, & qua dexteritate applicanda, chirurgia præcepta tradit. Sufficiat nobis notasse differentiam, qua, ratione effectus, distinguitur hirudinum suctio a venæsectione, quæ est celeritas, qua ex suis vasis egreditur sanguis. Cum itaque, tam in derivatione, quam in revulsione, motus sanguinis incrementum capere debeat §. XIX., sua statim coruscat luce, horum applicatione, nec derivationem nec revulsionem obtineri posse.

§. XXX.

Incisio cutis per vulnuscule minora pro sanguinis & humorum evacuatione, audit *Scarificatio* §. II. Hæc operatio quandoquidem venæsectionis vices sustinere debet. In conspectu omnium est, hic præter evacuationem universalem, etiam particularem, in loco ubi sacrificatur, fieri, quare & in eo ab ordinaria differt venæsectione. Revellit motum sanguinis versus partes vicinas, arterias multas minores incidendo: hæc vero revulsio, dum non fit in parte, ab affecta, remota, ab illa §. XIX. diversa est.

§. XXXI.

Sanguinis missionis indicationes ex hactenus pertractatis facile formantur: nimirum plethora unica ac genuina venæsectionis indicatio est: neque vero minus, sufficiens sanguinis quantitas, rarefacta adeo, ut nimio suo motu, tenerrimis vasibus interitus immineat: hinc sua fluit sponte, quovis tempore, & quavis ætate, in quibus hæc occurrunt data, sanguinis missionem non esse reformidandam, non neglecta insimul temperamenti, habitus corporis ac vitæ generis consideratione. Formata ac præsentī indicatione, tempus opportunum est quodlibet: in morbis, a stasi sanguinis ortis, quo citius, eo melius, nec facile post tertium aut quartum diem, quia alias naturam in suis moliminibus turbamus, morbumque exasperamus; at tamen ultima hæc norma non tam firma est, quin patiat exceptionem: viribus enim sufficientibus, ut si imbecillitas, a nimia sanguinis mole proveniens, novæ morbi mutationi, per vires corporis alias possibili, resistat, cum euphoria, his jam præterlapsis diebus, mittitur sanguis. In quantitate determinanda, ratio cuiuslibet subjecti erit habenda. Aliis interdum ad animi deliquium usque detrahere conducit, aliis tutius venæsectio reiteratur. Quando hirudinum applicatio & scarificatio §. XXIX & XXX admittenda, mutatis mutandis, facile intelligitur.

§. XXXII.

Hæc, quæ de sanguinis missione, paucis tradere animus fuit, sunt. Ea tantum adduximus, quæ proxime ad scopum nostrum præfixum faciunt, & ad usum venæsectionis percipiendum, qui, cognita pleuritide, in hoc elucebit morbo.

CAP. II.
DE PLEVRITIDE

§. XXXIII.

Pleuritis est febris acuta, continua, ex pleuræ, membrana, costas & interiora thoracis viscera investientis, inflammatione orta, cum respiratione difficili & doloribus acutissimis punctoriis conjuncta.

§. XXXIV.

Variis concipiendi modus, quem artis doctores, de pleuritide ejusque sede, habent, facile quempiam tenere potest suspensum, ut, cui assensum adjiciat, nesciat. Alii enim pleuræ morbum denegant, ut HEROPHILVS inter veteres, & recentiorum varii, quos elegans D. D. BRENDÉLII *Diff. de Pleuritide vera & Peripneumonia* §. 7. exhibet. Alii pleuræ morbum non abnegant quidem, illum autem semper, cum exterioris pulmonum membranæ inflammatione, junctum esse volunt, ut D. D. TRILLERO, cum VINCENT. BARONIO facienti, placuit, hincque PLEVROPNEVMONIAM vel PERIPNEVMOPLEVRITIDEM morbum melius vocari arbitrantur. Nos nihilo tamen minus pleuritidem morbum, classi morborum inferendum, & sedem ejus in pleura locandam esse, affirmamus audacter. Assertis veritatem, tam ex historia ipsius morbi, quam cadaverum hoc morbo extinctorum sectione, optimis ab artis præceptoribus consignata, conciliare, & partem, cui morbi sedes attribuitur, ad hanc labem fovendam esse aptam, ex structura ejus evictum reddere conabimur. Quo facto differentia ejus aliis a morbis eo melius intelligi poterit.

§. XXXV.

Nulli sexui, nulli parci ætati pleuritis, viros præ fœminis aggreditur, omnium minime infantes. Juvenili potissimum convenit ætati, & horum ex numero, qui vasa habent sanguine tumida. Vix illos invadit, qui acidum spirant & eructant, notante HIPPOCRATE *Sect. VI. aphorism. 33.* habent enim hi vasa debilia & sanguinem tenuem, unde HELMONTIVM a justo veritatis tramite errare, patet, quando acidum pleuritidis causam constituit. Hostis eorum infensissimus, qui crassiori paulo vivunt victu; vinum adustum amant & duro jam fracta labore membra habent. Epidemice plerumque grassatur, finiente hyeme & vere incipiente, alias nec rara rigida hyeme, æstuosa æstate aut inclementiori autumnno. Periodica quoque observata a VERZASCHA in *observat. med.* in sacerdote, qui singulis annis, vernali tempore, pleuritide decumbebat, ex qua cum quinquies incolumis invasisset, sextus morbi reditus, illum morti tradidit. BORELLVS in *Observat. med. Cent. IV. Obs. 83.* de viro septuagesima quinta vice pleuritico memoriæ prodidit, & in *Miscell. A. N. C. Dec. I. Au. 2. obs. 211.* in ludimoderatore observavit D. SCHVBERTVS pleuritidem, singulis septimanis septem per biennium recurrentem, nunquam vero ultra quartum diem durantem. Ingruit affectus cum horrore & frigore, turbulento capitis dolore, appetitu sæpe magno, succedunt æstus & graviores capitis dolores, appetitus prostratio. Pungens, distendens ac acutissimus dolor latus exercet, isque modo ad jugulum & claviculam, modo ad præcordia, pro loco affecto decurrit, pulsui, & respirationi respondens. Tussis initio sicca adest, dein sputum coloratum, crassum, mox striis sanguineis mixtum; haud raro primo accessionis die, multa sputa spumosa, striis

Atriis sanguineis distincta ejiciuntur: sic rursus in nonnullis præter molestissimum exscreandi conatum, pauca spuma, aut nihil prorsus rejicitur, & ne tussendi quidem conatus in quibusdam adest. Pulsus est frequens, cum insigni duritie, unde aliqui ferrati nomen ipsi indiderunt. Ita celeb. FREINDIVS pulsum ferratum genuinum pleuritis signum esse vult; intermittentem alioquin pulsum in hoc morbo reperit BAGLIVVS. Frequentissime vespertino tempore exacerbationes fiunt, ut probe VERNA notavit. Periodum suum plerumque absolvit septem dierum spatio, spemque bonam præbet, si ante quartum diem sputa cruenta fiunt, & urina ante illum turbatur, ut sedimento roseo deposito, clarior supersitet liquor: sic die septimo, aut tardissime undecimo, per sudorem largissimum, aut diarrhœam, morbi solutio est speranda. Malum in principio statuitur, dum nihil exscreatur de latere affecto; sed tenuis tantummodo pituita a pulmone, vel crassum quid & tenax & rotundum, idque cum difficillima tussi, fertur. Incrementum morbi dicitur, ubi sputum jam utcumque concoqui, majorique copia & facilius flavum educi, & ex liquido magis crassescere, & ex cruento magis album fieri cœpit. Status autem ex plurimo cognoscitur sputo, eoque albo, lavi & æquabili, quod & prompte ejiciatur & maxime dolorem levet. Declinatio deficiente dolore, & febre & sputo similibusque aliis, animadvertitur.

§. XXXVI.

Hæc fuit historia morbi pleuriticæ, legitime decurrentis, præsentæ agro observata, & in cujus veritatem, amica quasi conspiratione, veteres cum recentioribus consentiunt, ut cuilibet, eorum evolventi scripta, patebit, quorum compendium exhibet clariss. TRILLER in *eleganti de Pleuritide libello*.

Inter recentiores eminent etiam SYDENHAM, BAGLIVVS, BOERHAAVE ac HOFFMANN; quique nobis facem in hoc delineando morbo prætulērunt. Hæc enarrata historia sola detegit, cui generi morborum noster sit adscribendus, non adeo de eo sollicita, ubi proprie causâ morbi resideat, quod postmodum anatomia tradit practica.

§. XXXVII.

Veritatum anatomicarum ea est indoles, ut oculis & manibus usurpari possint: hinc sectio cadaverum, atroci hoc morbo extinctorum, proxime nos ad locum, ubi morbus nidulatus erat, deducit. Non possumus non, quin fidem viro, famæ ac operum gloria celeberrimo, adjiciamus, qui & ad præsentiam multorum testium, quorum conspectui obtulit detecta, provocat, & solidis rationibus a sua sententia alienos refutat, & cur ab illa abhorreant patefacit, scilicet ISBRANDO de DIEMERBROECK in *Anatom. Libr. II. Cap. 13.* cujus observationem hic adductam lectori benevolo haud ingratam fore arbitror. *Notavimus, inquit, minime veram esse PLATERI, ZECHII, aliorumque doctrinam, pertinaciter defendentium, in pleuritide, quæ frequens est morbus, vel nunquam, vel rarissime, pleuram, sed semper inflammari exteriorem pulmonum membranam, in eaque propter exquisitum sensum, (hunc male & præter omnem experientiam ei tribuunt) tam crudeles dolores excitari: in peripneumonia vero, inflammari pulmonum substantiam, quæ obtusissimi sensus est, atque hinc tantum obtusos in ea fieri dolores. Quippe ex multijuga cadaverum, pleuritide extinctorum, sectione, non aliter se habere invenimus, & medicinæ studiosis non semel demonstravimus. Scilicet comperti sumus, in omnibus pleuriticis inflammari pleuram, eamque solam, si pulmo liber est ab ejus connexu, sed si ille pleuræ annexatur firmitus, tunc una cum pleura, pulmonis adhærentem partem inflammari.*

Con-

Confirmat hoc aliis observationibus, & REGIVM acriter notat & refutat, denique pergit: *sed quibus pulmo pleura adfixus adharebat, in iis pulmonem, qua parte pleura annectebatur, simul etiam affectum vidimus, in aliis vero, quibus pulmo a pleura liber erat, eum nihil affectum fuisse: hac in parte oculis nostris & eorum, qui demonstrationi interfuerunt, magis confidimus, quam dicto aliorum, qui forte tale nihil viderunt, & ceterum adeo perfrictæ frontis sunt, ut de hac experientia multum dicere & scribere audeant. Si PLATERUS, cui fides debetur, se tale aliquando observasse scribit, nihil miror, fortassis ille, quod etiam aliis contingere potest, inter plurimos variis morbis interemptos paucos pleuritide extinctos secuit, & forte paucis illis, quos secuit, etiam pulmo pleura affixus fuit, quemadmodum ex sectionibus comperio, illud in tertia vel quarta hominum parte sic inveniri: sed alios, quibus pulmo a pleura liber erat, non secuisse videtur, quales tamen nos non semel spectandos exhibuimus, cum gravi pleura, non vero pulmonis, inflammatione aliave mala affectione.*

§. XXXVIII.

Antiqua fide hæc litteris tradita DIEMERBROECKII observatio, pro sede pleuritidis morbi, in membrana pleura figenda, sufficientes sat continet rationes. Evidentissime enim inde cognoscimus, morbum pleurae dari inflammatorium: hinc etiam videmus, cur sit rarus, & cur pleura inflammata frequentius exteriorem pulmonis membranam sociam habeat: unde Pleuropnevmonia non infrequens est morbus. Si ea quoque attendamus, quæ paulo ante de pleurae abscessu meminimus, (cujus inter antiquos TRALLIANUS jam mentionem fecit *Lib. II. cap. 1.* & AURELIANUS *Acut. Lib. II. cap. 16.*) ubi pleuram nigram in cadaveribus vidit; simul etiam sequentes auctoris lectu dignissimas observationes perpendamus, ubi
ex

ex acutissima doloris pleuritici perceptione evincit, pleuriti-
dem morbum, pleuræ, nec pulmonibus competere, de sede
morbi in pleura nullus relinquitur dubitandi locus. Pariter
quoque PETR. NANNI, VERNA, BONETUS, aliique, quos in
D. D. BRENDÉLII *diff. citat.* adductos videas, suggerunt ob-
servationes pleuræ inflammatae, integris pulmonibus.

§. XXXIX.

Fabrica membranae, thoracis cavum investientis, cui ana-
tomici pleuræ nomen dederunt, offert se, ad hunc producen-
dum morbum, illumque fovendum, minime ineptam. Pleura
membrana, ex vera altera, & altera cellulosa membrana com-
posita, est duplex, totam internam pectoris faciem tegens,
quare & omnibus hac in cavitate contentis visceribus tunicam
largitur exteriorem. Multa vasa sanguifera & nervi texturam
ejus faciunt compactam. Vasa sanguifera accipit præsertim
ab arteriis & venis intercostalibus, mammariis & diaphragma-
ticis, quæ hic admodum copiosa & exigua reperiuntur, & in
sinistro latere quam minutissima fieri incipiunt. Nervos ab
dorsalibus accipit, quibus cum intercostali & pari octavo in-
tercedit communicatio. Cellulosa membrana, veram ad
omnes in medio ventre contentas partes annectit, penetrat
musculos, & cellulosa in horum interstitiis efformat sub-
stantiam, & ad membranam usque adiposam, convexa tho-
racis partis integumentum excurrit. Pleura costis firmiter
adhæret tensa: arcta hæc connexio & expansio, illam, ac-
cidente minima, expansionem augente, causa, sive sit a lymphæ
spissitudine, sive sanguine, ibidem accumulato & stagnante,
maxime reddit sensibilem; quæ sensatio admodum augetur,
dum tali statu muscoli intercostales sub inspirationis actu in-
tumescunt, nervosque magis adhuc premunt. Interna, quæ
thoracis cavum respicit, pleuræ facies, plorat serum: unde
glan-

glandulosam esse illam, nonnulli voluerunt: glandulæ vero huc usque incognitæ latent. Serum hic exsudans, ad concretionem pleuræ cum pulmonibus inseruit impediendam, quæ in morbis, ubi serosa sanguinis pars valde consumitur, facile est metuenda.

§. XL.

Cum itaque rationi respondeat, & experientiam consentientem habeat, in partibus, ubi sanguis fertur per vasâ tenuissima, vel ubi secretio fit, ibi stasim humorum & inflammationem facilius, ac in aliis locis, contingere posse, ut v. c. in oculo, cerebri meningibus; quid mirum, si in pleura idem contingat? Hinc quoque frequentior in sinistro, quam dextro latere, aderit pleuritis, quamvis D. D. TRILLER suam hic opponat sententiam: clarissimus vero CHESELDEN prius sua corroborat experientia, rationemque addit, quia cor situ suo sinistram thoracis cavitatem angustiore reddidit; vid. *cel. HALLERI Program. de Respiratione I. in not.* Arteriæ in pleura ubivis repunt: hinc ubique pleuritis in locis, ubi pleura adnata hæret, oriri potest; quando ergo febris acuta adest, & dolor punctorius maximus in thorace percipitur; hunc morbum suspectum habere possumus. Perceptio eo sensibilior est, quo magis nervi & fibræ tenduntur: hinc in membrana pleura jam tensa, concurrente novæ distensionis aut compressionis causâ, ut a stasi ibidem facta, dolorem oriri acutissimum, ultro sequitur, qui, dum stasis hæret in arteria rubræ exilissima extremitate, quæ ne decimam capilli partem crassitie adæquat; patet, distractionem fibrillarum nervearum, vasculum tale circumdantium, sensum doloris excitare debere talem, ac si in puncto minimo corporis hæreat: unde punctorius sentiatur necesse erit. Musculi inter-

D

costa-

costales, quos acrite tegit & cellulositate sua distinguit pleura, hanc, ab inflammatione ultra modum tensam, dum officium præstant suum, magis tendunt, dolorem sub inspiratione exacerbant, & respirationem reddunt difficilem.

§. XLI.

Hanc exacerbationem, sub inspiratione, doloris, illustri BOERHAAVIO ansam præbuisse, morbi sedem in musculis intercostalibus reponendi, refert sub nomine ejus *Londini 1738 edita Praxis medica, Part. IV. §. 870. p. 164.* sequenti modo: *in ea sum sententia, hunc morbum raro oriri ab inflammatione pleuræ, sed potius a musculorum, & omnium maxime rationi consentire videtur: nam evidentissime liquet, ægrum majorem dolorem percipere in inspiratione, dum musculi intercostales agunt, & costæ propius ad se invicem adducuntur: in expiratione vero, dum costæ iterum a se invicem secedunt, & membrana pleuræ magis tenditur, æger minus dolet.* An hæc vera sit BOERHAVII, de sede pleuriticæ morbi, mens, affirmare nolumus, & fides sit penes editorem hujus operis, quod doctrinæ Boerhavianæ flumine irrigatus DD. HALLER *Stercus operis suppositi* vocat, & illustris archiater WERLHOF in *not. ad Consult. visi reperti de fetore oris*, atro admodum notat lapillo. Nostrium erit, ex pleuræ structura deducere, doloris incrementum esse in pleuritide in inspiratione & decrementum in expiratione.

§. XLII.

Cum pleura magis patiat in inspiratione, quam expiratione; dolor in pleuritide perceptus, major esse debet in priori, quam posteriori casu. Cuilibet, respirationis negotium consideranti, quod optime laudatus DD. HALLER in *not. ad Boerhaviæ Prælect. Vol. V. Part. I.* exponit ac nuper ad-

adversus *excellens*. HAMBERGERUM mascule defendit, facile erit intellectu; pleuram majori affici doloris gradu, dum auram haurimus vitalem, quam dum emittimus. Inspiratio enim est actus violentus: costæ sursum & extrorsum alia, alia deorsum & retrorsum ducuntur; muscoli intercostales huc facientes, sub actu inspirationis intumescunt, pleuram vario costarum motu varie vellicatam magis premunt: accedit aer notabili sat impetu irruens, qui primis inspirationis initiis ad summum usque gradum, omni momento pulmonem majorem reddit, illumque ad pleuram premit, quem passionis sensum, dum successive fit, pleuratici exprimere solent; pectus quasi aciculis ipsis percuti. Hæc omnia in expiratione cessant, qua pleura ad suum redit statum naturalem, hinc pleuriticus magis semper dolet, dum inspirat. Homo denique pleuritide decumbens, omnes quærit situs, donec aliquem inveniat, in quo magis tolerabilia patiat: sic vidimus in pleuriticis, viris fere semper, nullam fieri actionem musculorum intercostalium, sed solo septo eosdem inspirare: quare dum muscoli hi quiescunt, nihilo tamen secius sub inspiratione dolet æger magis, ab exacerbatione doloris sub inflammatione ad inflammationem musculorum intercostalium non valet conclusio. Autopsia postremo anatomica nullam supeditat observationem de musculorum intercostalium, illæsa pleura, inflammationem ad quod *l. c. §. 871.* regeritur: *id inde fieri, quod hi viri, suam doctrinam firmarent ac stabili- rent contra alios medicos, qui raro pulmonem, sed pleuram magis affici docebant, hinc suæ sententiæ acquiescentes, forsitan in hujus mali originem non ulterius inquisiverunt.* Vltro damus ac sponte largimur, musculos intercostales, una cum pleura inflammari posse: quin imo sapius, cum hac, inflammati reperiuntur, ob arctum inter illos cum hac membrana



connexum, qui tantus est, ut membranam a musculis sine dilaceratione raro sejungas: unde & communicatio inflammationis per cellulositatem pleuræ adeo facilis est, ex cujus distributione concipi potest possibilitas transitus pleuritidis spuria in veram & vice versa. His itaque probe perpensis pleuritidis sedes in pleura inconcussa manebit.

§. XLIII.

Velamentum thoracis succingens, quod anatomici pleuram vocant, inflammari, experientia non repugnat §. XXXVII. & ratione suffulcitur §. XXXIX. & XL.; hinc pleuritidem morbum in pleura residere veritas medica est. Cum pleuritis sit pleuræ morbus inflammatorius, inflammatio vero semper febrem individuum comitem habeat, morbi vis continuo affligat & per paucos dies decurrat §. XXXV.; hinc febris continua & acuta adest. Inflammatio porro pleuræ respirationem difficilem & dolores acutissimos punctorios semper conjunctos habet §. XL. & XLII.: morbus itaque noster, definitione §. XXXIII. data, ab omnibus aliis pectoris affectibus distinguitur. Differentiam sic ex dictis invenies inter pleuritidem veram & spuriam, cum hæc nec febrî jungatur acutæ, nec inflammatam pleuram pro causa agnoscat, sed tantum incumbentes convexi thoracis partes: quo & pertinent decubitus catarrhales ad musculos intercostales, vel ad ipsam pleuram, spurias pleuritides efficientes.

§. XLIV.

Arduum est maneat, ex signis certe demonstrare, an pleura semper sola, integris musculis & tunica pulmonum exteriori, inflammata sit; nisi forte ex vita ante acta & morbis prægressis colligere quid liceat: quo in casu omnino pleuropneumonia pleuritide frequentior erit morbus §. XXXVII & XXXIX.; pleuritidis tamen nomen in hoc morbo antefere-

ren-

rendum, & pleuropneumoniae illud superfluum esse, sequentibus ex rationibus ductus, judico: Musculi intercostales si inflammati, semper cum pleura sic reperti sunt, XLII.; pleura vi structurae, his illaesis affici potest; haec etiam, incorrupta exteriori pulmonum membrana, inflammata visa fuit; tunica quoque pulmonum inflammata, integra pleura, aliud passionis sortitur nomen. Attendas porro quae, quam late pleurae competat jus: omnibus enim thoracis visceribus tunicam largitur §. XXXIX., quare morbus harum tunicarum inflammatorius, de jure sub nomine pleuritidis, sibi vindicare poterit; hinc pleuritis jam pleuropneumoniae sub se comprehendit, sicque praesentibus in aegroto signis, in definitione datis, de pleuritidis praesentia certi esse possumus. Cum denique unanimi auctorum consensu, pleuritis sit inflammatorius morbus, quamvis de sede in diversas abeant sententias; vera curationis methodus tamen manet omnes eadem: hinc nos in curando morbo, ad scripta horum, quoad sedem nobiscum non facientium, provocasse, non inique feras.

§. XLV.

Vena, graecis *Azygos* dicta, ob peculiarem suam cum pleura nexum, & fabricam singularem, ab omni aetate vim suam, in pleuritide cognoscenda & curanda, divulgavit latissime, sic & illustris BOERHAAVE hac vena morbi dicti occasionem occupare voluisse naturam, putat. BARTHOLOM. EVSTACHIUS, quem in rebus anatomicis humanam pene diligentiam supergressum judicat modo laudatus auctor, peculiari libello in structuram ejus inquisivit: cujus vestigiis infistens JOH. MARIA LANCISIUS, ortum & progressum de industria perlustravit, quod specimen JOH. BAPTIST. MORGAGNI, qui illi auctor suae forque hujus rei fuit, *Adversariis suis ana-*

tom. inseruit. His ex fontibus ea de Vena sine pari exhibemus, quæ scopo nostro proxime inservire judicavimus. Venam itaque hanc, plerumque viduam, si a trunco ipsam contemplari vis, egredientem invenias ex venæ cavæ posteriori & dexteriori parte, vertebra respiciente, e regione pericardii, qua cum vena cava cohæret, vid. EVSTACHIVS de Vena sine pari Antigr. III. & IV. descendendo in pleuræ cellulositate sensim sensimque diametrum nanciscitur angustiozem. Initio vero, oræ dextræ vertebrarum adjacet: postea media ista corpora tenet, perpetuo tam ad dextrum, quam ad sinistrum pectoris latus, ramos ablegans, qui sanguinem ex arteriis intercostalibus imbibunt. Divaricatio hujus venæ mira est: germina enim ubivis spargit, per sternum, ad extremos pectoris musculos, quin imo hæc ad membranam usque adiposam pectoris repunt, & cum aliis, ab axillaris venæ magno germine pullulantibus, multis modis cœunt; EVSTACH. l. c. Antigr. XVIII. Verum capias & hoc: non omnes semper intercostales venas ab azyga proficisci; sed sinistras superiores tres, pluresve, interdum & infimas, succenturiatæ venæ, subclaviæ soboli, ortum debere, sicut LANCISIVS, in feminis præsertim, longiori thorace gaudentibus, invenit, & hanc venam *Hemiazygam* dicit D. D. ALBRECHTII. observatio est, in *Observat. anatom. circa duo cadavera mascul. §. XI.* intercostales venas sinistras quandoque nec in venam sine pari, nec in hemiazygam, sed in venam pulmonalem sinistram se exonerare. Notatu dignissimum est & hoc, ad quod pauci in pleuritide deducenda & curanda oculos reflectunt, quod nimirum hæc vena sine conjuge arctissimum cum venis in pectore amet nexum, quem LANCISIVS omnium optime delineavit sequenti modo: *Nervi per interiora thoracis & dorfi, costas, inter pleuræ membranas, supra ramos ve-*

*nae azygae utrinque erratico flexu, & geminatis plerumque
bederæ instar claviculis perrepunt, variisque in locis cum
caudice venæ azygae & ramis intercostalibus amplexu sese per-
miscet.* Ex hac memorata venæ s. P. distributione, rationem
possibilitatis inflammationis pleuræ absque pulmonibus, datam
videas in D. D. BRENDÉLII *Diff. cit. §. XIX.* Ex arctiori
vero nervorum cum dicta vena connubio, patet ratio, quam
prompte stasis sanguinis in vasis intercostalibus induci possit:
accedente enim utcunque causa irritante, spasmodica nervo-
rum contractio, vasorum diametrum reddit angustiozem, hinc
venæ non eo, quo decet modo, sanguinem ex arteriis repe-
tunt: accumulatur inde, & stasis in promptu est; hinc D. D.
LOESCHERVS mechanismum venæ azygos, pleuritidis cau-
sam, in peculiari *Diff.* accusavit.

§. XLVI.

Causas, ad morbum nostrum producendum validas, paucis
recensere non pœnitebit, his enim perspectis, eo evidentius
elucefcit, quodnam remedium, & qua ratione, ad morbum
vincendum sit aptum. Morbus cum sit inflammatorius
§. XXXII, proxima ejus causa, merito ponitur in stasi antea
facta. Causam, proximæ antecedentem, constituimus omne
id, quod ad obstructionem generandam suam confert sym-
bolum; quodque triplici fieri solet modo, ut per fluida im-
pulsâ, expansâ & turgescata, continentium solidorum conditio
ita mutetur, ut diametri ampliores facti, plus justo sanguinem
penetrare permittant: dein per fluidorum statum naturalem
depravantia; tertio, quæ rigidam fibrarum stricturam indu-
cendo agant, sicque fluidorum progressum sufflamment. Qui
ad plethoræ respicit effectus, §. IX, inveniet illam, ad stasim
generandam promptam, & tam per se, quam adveniente
fibra-

fibrarum rigida strictura, sane promptissimam. Hæ duæ potissimum causæ, plethora scilicet, & rigida fibrarum membranoso-nervearum structura, in pleuritide procreanda omnem fere absolvunt paginam. §. *antec.*

§. XLVII.

Causas morbi remotas consideraturis frequens aderit occasio, rigidam istam fibrarum contractionem, ut causam proximè antecedentem, vel cum plethora, vel absque illa, detegendi. Inter remotas, quasi agmen ducit ætas juvenilis, huic enim ætati potissimum convenire pleuritidem, historia morbi §. XXXIV. docet, rationi quoque quam maxime congruum est. Perpetua ac constans naturæ in efformando corpore est lex, quod, qua ratione in utero inceperit, caput cum spinali medulla primum evolvere, ad pectus progredi, & tandem abdomen cum inferioribus perficere partibus, ea quoque incedat via, edito jam in lucem fœtu, per varia ætatis stadia, varias majori admodum cura ad suam perfectionem deducendo partes. In tali solidarum partium corporis humani per ætatis periodos facta successiva evolutione latet ratio, cur peculiaris in certis partibus, cuius ætati propria, ad producendos morbos emergat dispositio. In juvenili ætate, cui a vigesimo primo aut quinto, ad trigésimum usque quintum annum limites ponunt, vel quæ melius incipit, quando corpus in longitudinem crescere desinit & in amplitudinem extenditur; maxime omnem confert naturæ curam, ad thoracem cum visceribus ulterius elaborandum: hinc major sanguinis copia ad hæc partes adfluere, quam ad alias, debet; juvenes præterea fere omnes justo copiosiorē habent sanguinem: hinc staseos sanguinis in pleura, data occasione, ratio est facilis. Conferri hic meretur CELSI *Lib. II. cap. 1.* & b. FRID. HOFFMANNI *Diss. de Aetatis mutatione morborum causis.*

§. XLVIII.

Sic prædispositum corpus, illo anni tempore, quo communi fere clade strages edit pleuritis, raro intactum manebit. Ingruit plerumque epidemice, finiente hyeme & vere incipiente. Nullum anni tempus in hoc producendo morbo antecedit huic. Condensati enim per hyemem humores, ab incremente solis calore excalescunt, in inordinatos ruunt motus, expandunt vasa, & facile ultra locum, quam illis datum erat, transgrediuntur, sicque stasis concipiunt, quæ tunc temporis in promptu est, quando bene perspirans corpus, ab aëre variabili frigido, afficitur: rigescit tunc corpus, constringuntur vasa, angustata inde, sanguini, commode vas antea permeanti, vel transitum denegant, vel ultra modum transgressum sic includunt, ut ultro citroque pergere nequeat. Pori clausi exhalaturis sordibus exitum prohibent, quare interiora petunt, mora acrimoniam, membranoso-nerveis partibus insensissimam, contrahunt, quæ, si nervos, venam sine conjuge circumdantes, irritat, stasis in pleura erit intellectu facilis.

§. XLV. Vere plerumque epidemicum est malum, cujus ratio potissimum in intensissimo prægressæ hyemis frigore quaerenda erit, quodque experientia confirmat. *PORTIUS de Milit. Sanitat. tuenda*, qui Venetiis ex antecedente nivium & frigoris excessu pleuritidem crudeliter sævientem exortam annotavit, & *b. FRIED. HOFFMANN Med. Syst. P. IV. p. 431.* post asperam hyemen pleuritides crudas, in quibus nono & undecimo die sputum apparuit, observavit. Hoc anni tempore terra, brumali sua crusta orbata, spargit exhalationes humano corpori nocivas, quæ, cum ore hauriuntur & sanguinea massa, jam ob prægressum frigus non debite purgata, communicantur, cum qua, motu vegetiori, intimius miscentur, & specifica quasi sua indole pectoris partibus insident: quod si pleuræ ac-

E

ci-

cidat, morbus noster apparet, qui benignior vel malignior pro eo, ac constitutio corporis particularumque, ex aëre haustarum, qualitas benignior vel malignior existit. Hinc SYDENHAM *Sect. V. cap. 5. pag. 306.* hoc anni tempore pro morbo primario agnoscit pleuritidem, quam alio sydere natam, pro symptomate febris declarat.

§. XLIX.

Morbus quoque non rarus est rigida hyeme, æstivosa æstate & morboſo autumnino §. XXXV; sed sporadice tunc temporis grassari solet. Quos hyeme jugulat, ii sunt inprimis, quibus negotium datum est, ut per nives & glaciem victum sibi quarant, ut rustici, piscatores, venatores & ex ima cavea genus: secus ac fit in aliis, qui corpus ab hyemis injuriis probe defendere possunt. Priores illi, dum acerrima perfringuntur boreali aura, summis viribus corpus movent, donec, per motum excitato calore, frigus quidem superant; sed jam exantlata vires, quietem poscunt: hinc aperto ore, frigidum anhelantes excipiunt aërem, qui, tenerrima tantum interposita vesicularum pulmonalium membranula, ut vix pollicis intervallo a sanguine intercostali distet, vasa sanguinea & nervos adjacentes, effectu frigori proprio, coarctat ac constringit: unde a rigida hac fibrarum strictura, stasis, proxima pleuritidis gignitur causa. Habet & æstas, quando sol fervet & Sirius ardet, suos hinc inde pleuriticos. Calor enim auctus, sanguini excedentem conciliat motum vasæque simul expandit, sicque ingressum sanguinis in vasa minima & ubi subsistere cogitur, faciliat; vel ipse calor, liquidissimam sanguinis partem dissipando, copiam illius fluidi minuit, quod naturali lege per minora corporis vascula fluere debet, reliquamque sic massam ad obstructionem disponit, quæ facile in effectum

Etum deducitur, si tunc, cum corpus sudore fere diffluit, nobis refrigerio nihil dulcius videtur: hinc avide ingeritur potus frigidus, quo vasa intercostalia, ad oesophagum fere directe sita, constringuntur dirusque sic prognoscitur morbus: Huc pertinet ille laute viventium luxuique & gulæ indulgentium mos, qui aquæ frigidæ, infusa glaciæ vel nitro magis frigidæ, potulenta lagenis inclusa, immittunt, eaque frigida & glacialia fere reddita, æstuante cœlo plenis poculis ingurgitant; quæ pessima consuetudo in causa est, quod tot homines splendidioris fortunæ in flore & vigore vitæ periclitentur aut derepente extinguantur. Mala, quæ ex potu nimis frigido, in corpus, intensiore motu calefactum, ingestio, redundant, optime Fautor ac Amicus æstumatissimus D. D. ANDR. WESTPHAL in *Diss. de Usu potus ad sanitatem conservandam restituendamque Part. I. p. 10.* exposuit. ALEXANDER M., teste CVRTIO *Libr. III. cap. 5.* suo tristi docuit exemplo, quam periculosissima sit natatio in aqua frigida post vehementem corporis motum, ex qua quoque causa sæpissime morbus noster provenit. Inclementior autumnus multos pleuritide cruciat, nam ex CELSI *Lib. I. cap. 8.* iudicio autumnus longe periculosissimus est, quia maxime tunc variat tempestas, corpus æstate & meridianis caloribus relaxatum, subito frigore excipitur, sicque homines æstivo amictu adhuc utentes, facile opprimit. Hisce antea dictis probe consideratis, verissimum deprehendimus sapientis BOERHAAVII effatum, dum inter decem homines, qui ex acutissimis morbis pereunt, novem omnino a pleuritide necari asserit *Prælect. Acad. Vol. III. p. 27.* Quidque hic valeat rigida fibrarum strictura ad hunc producendum morbum, ita, ut sæpissime causa proximæ antecedens existat, prægressa æqua iudicii lance ponderantes non latebit.



§. L. Non parvus pleuriticorum est numerus ex morbis progressis & illegitime curatis, a retentionibus consuetarum salutarium excretionum. Sic inuenies tales ab hæmorrhoidibus, lochiis & mensibus suppressis, a petechiis aliisque exanthematibus retropulsis, a febre quartana imprudenter cohibita, præpostero cohibito simplici vel dysenterico alui fluxu, a consolidatis antiquis ulceribus, a critico consueto pedum vel totius corporis sudore impedito a vomitorio intempestive oblato, a flabus incarceratis, & ejusdem commatis causis aliis. Sunt sæpe violentiæ externæ, quibus pectus concutitur, nostri morbi causæ. Polypi vasorum pectoris aut cordis, præcipue valent, ut homo frequentius & fere quotannis hoc corripiatur morbo; confer. b. FR. HOFMANNI *Diss. de Polypis, morborum pectoris, præcipua causa*, in qua adducitur ægra, per viginti & amplius vices ex polyppo pleuritica. Ratio vero, cur in juvenili ætate polyppi sæpius occurrant, consistit potissimum in nimia, quæ in hac ætatis stadio vasis inest, sanguinis quantitate, unde cohesio solito major facilis §. IX. adeas & cel. JOH. JUNCKERI *Diss. de Juvenum dispositione ad morbos pulmonum*. Ore admodum rotundo omnem pleuritis causam exprimit CELSVS dicens: *Dolorum lateris initium, vel ex frigore, vel ex ictu, vel ex nimio cursu, vel ex morbo est.*

§. LI. Examinatis in prægressis §§. causis, evidentissime apparet, morbum esse vel idiopathicum, vel symptomaticum, falsi tamen humorum in pleura, semper causam proximam constituente; hanc vero non unius prosapiae esse, sed mox relaxata nimis vasa, ut in plethoricis, proximæ esse causam antecedentem: frequentissime iterum constrictionem fibrarum rigidam hoc nomine venire: quin non raro ambas unitis viribus proximam gignere posse; immo & depravatam fluidorum statum in censum venire, præcipue si morbus antecesserit acutus.

CAP. III.

DE SANGVINIS MISSIONE
IN PLEVRITIDE.

§. LII.

Non a re alienum esse judicavimus, ante, quam de usu & viribus sanguinis missionis in pleuritide rationem reddamus, per compendium quasi docere, quali animorum motu & fervore lis de venæsectione in hoc morbo agitata fuerit, quare & belli medici nomen reportaverit. Omnia vero huc facientia, divisa temporibus & ferie rerum digesta composuit RENATUS MOREAV in *Tract. de sanguinis missione in pleuritide, Parisiis 1630 edito*, quem eximia raritatis multique fructus libellum beatus præceptor celeb. SCHVLZE 1741 recudi jussit & *Compendio suo Historiæ medicinæ* adjecit.

§. LIII.

Artis nostræ Parentem, HIPPOCRATEM, omnium primo, quorum notitia ad nos pervenit, pleuriticis sanguinem detraxisse, in *Libro ejus de Victu acut.* memoriæ proditum est, addita regula, quando dolor lateris penetraverit sursum, vel ad claviculam, vel ad mammam, vel ad brachium, venam brachii internam in illa, qua dolor afficit parte, secandam esse. Hanc sententiam Græcorum & Latinorum medici, si a paucis discefferis, sancte asservarunt. Cum vero summa rerum medicarum ad Arabes delata esset, hi communi fere ore, ex mala hujus HIPPOCRATIS loci interpretatione, venam, dictis signis præsentibus, in brachio dolenti lateri opposito, aperiendam esse docuerunt. Sententia hæc HIPPOCRATI contraria, seculis, quibus litteræ temporum barbarie infuscata erant, omnium occupaverat animos. PETRVS denique BRISSOTTVS, patria Gallus, HIPPOCRATIS GALE-



nique scripta nocturna diurna manu versaverat, quo studio Arabum detegebat errores, & præsertim erroneam eorum, de sanguinis missione in pleuritide, sententiam sibi impugnandam sumebat, quare hic quasi tuba ac fax belli dicendus. Quanti momenti tunc temporis res æstimata fuerit, ex eo apparet, quod BRISSOTTI adversarii legatos ad CAROLVM V. Imperatorem miserint, qui doctrinam hujus, pestiferis opinionibus infectam, accusabant, unde eadem corpori humano affricetur labe, qualis animis ex LVTHERI, a vera eorum religione abhorrentis, opinione. BRISSOTTI tamen conamen multos provocabat, qui assensu suo sententiam ejus probabant, & jam ex ipsis medicinæ fontibus haurientes, Arabum dogmata publice rejiciebant, & HIPPOCRATIS GALENIQUE scripta suis prælectionibus destinabant. Divisa in duas sic partes medicorum schola erat ad VESALII, magni illius anatomici, usque tempora. Hic accuratori paulo corporis humani cognitione edoctus, dextri lateris venam in omni secandam esse pleuritide defendebat, eo excepto casu, quando morbus tres costas inferiores sinistri lateris occupaverat. Sententiæ suæ exinde veritatem conciliare studebat, quia vena azyga, cavæ soboles, in cujus ramorum obstructione pleuritidis causam ponebat, dextrum tantum latus occupat, unde in dextro latere facta venæ sectione, optime obstructionem referari posse, autumabat. Hæc erat rerum facies ante circulationis sanguinis inventum. Postea vero quam immortalis famæ GVILLIELMVS HARVAEVS 1628. jugem ac perennem sanguinis in circulum motum clariori exposuerat luci, flamma hujus belli fere deferbuit & res pene de lana fuit caprina, cum veterum de motu per vasa sanguinis conceptus a circulationis legibus tota distet via. In secutis quidem temporibus non tanto animorum motu, ac antea, dum quidam publice de-
 cla-

clarare non erubuerunt, *se cum Galeno malle errare, quam cum aliis sapere, ut CONRINGIVS in Introduct. in artem med.* refert de MASSARIA, hæc ventilata est quaestio; attamen ad nostram usque ætatem non convenit inter præceptores de sanguinis missione in pleuritide.

§. LIV.

Brevis hæc enarrata historia ubique satis declarat, mentem pleuritidi medentium semper de loco, quo vena secanda sit, fluctuasse. Veteres, cum nec veram de vera vasorum distributione habuerint ideam, nec tam clarum, quam hodie habemus, de fluidorum motu tenuerint conceptum, si argumenta illorum, pro defendenda administratione missionis sanguinis ex hoc magis, quam alio loco, a legibus fluidorum desumpta consideremus, minime rem probare possunt. Probationis etiam negotium, ab experientia petiti, infirmum reperitur ad dirimendam litem. Experientia enim militat pro utraque parte: indubia enim præsto sunt testimonia, tam HIPPOCRATEM, quam qui cum GALENO ejus presserunt vestigia, ut & arabum familiae addictos, VESALIQUE sectatores, pleuriticos suos venæsectione sanitati reddidisse: quare eo allaborandum est, ut ab experientia & ratione simul talis determinetur locus, ex quo sanguis erit detrahendus, exindeque lis componatur.

§. LV.

Si in ullo unquam morbo sanguinis missio vires suas longe lateque dimiserit, certe noster erit. Fuerunt enim, qui absolutam, ad curandam pleuritidem, venæsectionis semper efflagitant necessitatem: referas huc excell. TRILLERUM in egregio *de Pleuritide libello §. V. p. 16;* ubi magnifice valde illam extollens, inquit: *Hæc sacra quasi est anchora, ad quam unice confugiendum in hoc morbo, & a qua sola, sola inquam*
omnis



omnis pleuriticorum salus pender. ZACCHIUS Medicum, ob venesectionem in pleuritide omissam, in jus vocat, & doli praemeditati illum accusat, in *Quest. Med. legal. Lib. IV. Tit. r. quest. 1.* Verum nec defuerunt, qui necessitatem ejus non solum rejecerunt, quin sanguinis missione plane interdixerunt, ut HELMONTIUS, qui *Cap. Pleura furens p. 319.* exclamat: *Cruentum Moloch cathedris medicis praesidere & frustra mitti sanguinem pleuriticis: specificis remediis debellari hunc morbum: non vires enervandas esse per venesectionem.* Hic toto caelo a se invicem distans medicorum dissensus, subministrat nobis occasionem, in absolutam sanguinem mittendi necessitatem inquirendi.

§. LVI.

Absoluta sanguinis missionis in pleuritide necessitas omnem aliam hujus morbi, neglecta illa, excludit curationem: hinc si evincitur, alium pleuritis curandi modum esse possibilem eundemque experientiae inniti; necessitas venesectionis hoc in morbo sua sponte concidit. Sanguinem in omni pleuritide mittere, idem est, ac morbum generali tractare cura. Generalem vero morbo cuidam assignare curam, nec ad causas, quae produxerunt morbum, nec ad individuum, quod patitur morbum, respicere, in detrimentum artis esse, ex methodi medendi legibus constat. A causis itaque morbi concluditur ad ejus curationem. Morbus hic est febris acuta inflammatoria: hinc stasis sanguinis causa proxima §. XXIII & XLVI. Staseos curatio consistit in resolutione ejus, ne morbus abeat in alium, nimirum in suppurationem, gangraenam, aut mortem: hic ad antecedentem causam recurrendum, quae stasim induxit & adhuc fovet, habita simul remotarum ratione. Haec quia varia esse potest §. LI, curatio variare debet. Plethora saepissime causa antecedens est, nec raro spastica
fibra-

fibrarum strictura, vel sola, vel nimix sanguinis quantitati juncta: hinc interdum V. S. juvabit, interdum fibrarum stricturam solvens medicina, absque illa, morbum auferet: quæ vero alteri, quando simul occurrunt, anteponenda sit, accuratior remotarum causarum examinatio docebit. Sic nec specificum in pleuritide medicamentum est V. S., nec aliud a multis laudatum arcanum antipleuriticum; sed corporis morbofi, causæque morbificæ respectu titulum demum meretur. Quicquid itaque stasin in pleura solvit inflammatoriam, morbi specificum erit medicamentum. Sed ne hoc quidem V. S. semper in sua habet potestate. Referatur scilicet obstructio vi emissi sanguinis, ita, ut hærens globulus sanguineus, aucta sanguinis celeritate, ex fine obstructæ arteriæ in venam, ipsi anastomosi junctam, transeat; vel impetus ita infringatur, ut partim reddito vasis elatere retropellatur, partim in multos minores serosos sponte diffiliat globulus, sicque ulterius promoveatur. Duplex hic resolutionis modus præsupponit stasin factam, vel in fine arteriæ rubræ, vel initio serosæ: in aliis, quorum elasticitas ad reprimendum globulum insufficientis, aut angustia ne serosum quidem admittit, obstructionis solutio per sanguinis missionem impossibilis erit. Stasis in suppurationem abiens nondum est soluta, sed in alium modo morbum mutata.

§. LVII.

Cum itaque inter causas pleuritidis non semper adsint illæ, quæ sanguinem sitiant, e contrario sæpe præsto sint, quæ jacturam ejus necessario requirant; V. S. non plenarie ex curatione erit proscribenda; sed absoluta ejus necessitas saltem removenda. Spes ergo si affulgeat, pleuritidem in sanationem abituram fore per vires corpori proprias, tunc medicus, naturæ minister, monitu illo magni HIPPOCRATIS, illam ducat,

F

quo

quo vergat, si per convenientia fieri potest loca; hinc neque venam secare, neque purgare, aut aliud quicquam mutare debet, sed res sic dictas nonnaturales rite ordinando, & evacuationi cuilibet singulari proficienti providendo agat, & omissis artificiosis aliis æger recuperabit sanitatem. Rationi sic non absolum est, pleuritidi sine missione sanguinis mederi, qualem curam experientia fundatam videmus.

§. LVIII.

Ipse noster venerandus HIPPOCRATES non in qualibet pleuritide venam secuit, & CÆL. AURELIANUS 2 *Acut. Lib. XXII. ab Asclepiade* acceptam retulit observationem: pleuriticis Athenis & Romæ sanguinis missione deterius habere, in Helleſponto melius. Rationes hujus diversi effectus excussit BAGLIVUS *Prax. L.I. p.m. 44.* CELSUS noster commendatis *Lib. IV. cap. 6.* pluribus ac pleuritidem remediis, addit: *Attamen sine his, rusticos nostros, epota ex aqua trixago, satis adjuvare dicitur.* Qualis sit planta trixago, non constat inter botanicos. PLINIUS in *Histor. natural. Lib. XXIV. cap. 15.* chamædryn esse vult, quæ latinis triflago dicitur, & similes de his narrat effectus; verum chamædryn nostra his destituitur virtutibus. Non multi esse volumus in expiscando hujus plantæ caractere, cum innotuit nobis planta virtutibus trixagini non minus secunda.

§. LIX.

Arnica illa planta omnes recondit virtutes, de memoratis herbis recensitas. Hæc in congruato resolvendo sanguine nulli cedit pharmaco. Cito, tuto, utinam & jucunde! semper sanat: hinc plebejis magis, quam eminentioris fortis hominibus datur. Immanibus, qui ejus decoctum imbiberunt, exeruciat doloribus, ita ut in limine mortis positos esse dixeris. Morbum si spectes nostrum, mirabile est dictu, quam cito

cito profligat illum, & nisi corpus eminenter plethoricum, posthabita venesectione curat, præsertim si a violentia externa pectus concussum, aut potu nimis frigido, corpori calenti ingesto. His in casibus, quos indigitare & exprimere solet vulgus: Man hat sich erhoben/ oder mit dem kalten Trunk versehen, avide ad hanc cum cerevisia decoctam plantam, magno ægrotorum commodo, confugiunt. Et sane mixtura particularum, arnicam constituentium, omnes hosce salutiferos effectus in aprico ponit. Particulæ ejus salinæ, resinoso-sulphureis ac terreis mixtæ, quibus optime cerevisia in decoquendo imprægnatur, sunt, quæ coagulum resolvunt varioque modo ex corpore ducunt. Hinc decocta in cerevisia anteponatur infusæ plantæ. Flores, qui solos sumunt, non adeo evidentem experiuntur effectum, quam qui totam plantam, rejecta radice, adhibent. Sinistræ alioquin operationes non medicinæ huic, sed quod non recte usurpata sit, tribuendæ. Vera arnica, huic scopo accommodata, est illa Plauensis, alias & Bohemica, sive Schröderi, dicta; cum Svedensis, seu Aster luteus, Conyæ species, in nonnullis officinis pro vera asservetur, cujus autem vires, veræ longe impares sunt. Pulchra multa de Arnicæ virtutibus, hujus morbi intuitu, habent D. D. GOHL in *Act. med. Berolinens.* & D. D. ALBERTI in *Diss. de Arnica.*

§. LX.

Antiquam fatis medicinam, Hieram diacolocynthidos, SCRIBONIUS LARGUS *Cap. 23.* ad lateris dolores miris encomiis prosequitur. Purgans per guttur inferius est medicamentum, blandum in eo, quia nullum sanguinis orgasmum excitat, hinc ad stasin inflammatoriam tollendam non ineptum. Quanta enim vis sit purgantibus rite adhibitis, in curanda inflammatione, artis periti norunt. vid. BOERHAAVE *Aphor. 306.*

& illustr. *van SWIETEN* ad hunc locum. Temporibus, ad ætatem nostram propius accedentibus, haud frustra quærun-
tur observationes, de pleuriticis, non adhibita venæsectione
curatis. Remedia, quibus curatio peracta fuerit, si examini
subjicias, nonnulla scopo suo satis accommodata, alia vero
inepta, quin ridicula, reperies.

§. LXI.

Antimonium est diaphoreticum, quod celebris post fata
G. W. WEDELIUS, arcani antipleuritici titulo *in Ephcm. Nat.
Cur. D. I. Art. 3. Obs. 72.* inferendum curavit, & ob merita
tam in vera, quam spuria pleuritide impensè laudat. Omnis
hujus medicamenti virtus antipleuritica dependet a vi ejus
diaphoretica, dum sæpissime impedita transpiratio morbum
gignit §. XLVIII, quo casu illam restituendo bene se gerit
medicina. Pulvis *MYSICHTI* pleuriticus, quem *in Arma-
mentario p. 128.* exhibet, egregie in sananda pleuritide se præ-
stitit. Flores sunt potissimum sulphuris, ex quibus pulchri
redundant effectus: hi non solum diapnoen modeste promo-
vent; sed etiam alteri indicationi, cum contagiosum miasma
in morbi causis est, inserviunt. Hoc pulvere beatus præceptor
D. SCHULZE primo sæpe invasionis die morbum jugulabat,
nec, nisi conspicua aderat plethora, venam secabat. Florum
sulphuris dosin ad dimidium minuendo, similem videbat
effectum. vid. *Prælect. ejus ad Dispensat. Brandenburg. p. 261.
& Diss. de Inflammationum curationibus variis.* Non tenuis
hujus pulveris est gloria ex commendatione summorum in
arte virorum, illustris *de HUGO & WERLHOFII*, qui multoties
experientia sua confirmatum illum laudant, ob manifestam
efficaciam, in levandis pleuritidis veræ spuriaque doloribus,
inchoante strepitu pectoris, ferali illo tam sæpe symptomate,
turgentis & feroci abundantia ad pectus ruentis humoris in-
dicio,

dicio, quem tunc ad alvi vias eo remedio feliciter duci expertum habuere, dato, quam diu opus videtur, scrupulo integro tertia quaque hora: conf. *Comm. litter. Nor. de An. 1734 p. 316.* Ultimus cum adfit casus; dosin florum sulphuris non infringas: constat enim, sulphuris paucam quantitatem ad diapnoen sufficientem esse, reliquum vero illud inferiora petere.

§. LXII.

Multa hinc inde arcanorum antipleuriticorum titulo celebrantur: totum vero arcanum vel in medicamento ipso, vel in vehiculo suo, latet. Sic ea, quæ fibras strictas relaxandi virtutem habent, ut oleosa, aliquando hoc nomine venire possunt, ut Ducis ab *VRBINO* arcanum, quod oleum lini, cum rasura *C. C.* sumtum, est, cui quoque medicina *GESNERVS* *Epist. LIII. p. 108.* fidem conciliat, item *Eph. N. C. Dec. I. A. 4. & 5. Obs. 7.* illud laudant. Vehiculum quid præstet, experiuntur hi, quibus bolaria & terrea, foetidaque munitia, cum aceto propinantur, in his unicus, quin maximus, effectus ab aceto erit repetendus, in quo vis congruatum resolvendi sanguinem insignis, quod quotidie videre licet, quando vulgus pulverem contra casum, ad hunc casum minime aptum, cum aceto haurit indeque levatur. *HELMONTII* vero ad pleuritidem medicina ridiculi multum, efficaciarum parum habet, de qua legas excell. *TRILLERVM* *l. c. cap. 3.* Acerbissimo autem luit pœnam damno, quod absolutam pleuritis medelam uno hoc remedio, sprete venæsectione, peragi, obstinate contenderet, dum hicce morbus ipsi vitæ finem fecit.

§. LXIII.

Tristis quandoque venæsectionis eventus, in pleuritide epidemice grassata, absolutam ejus in hoc morbo necessitatem infringit, ut illa *Parisiis 1699.* mense majo, & *Pessaro, italiæ urbe, 1799.* vid. *WRATISLAVIENS. Anno 1718. p. 1062.*



Malignum, quod tunc morbis inest, & quod, ob fere simul suppressam transpirationem, in corpore remanet, omne medici negotium eo ducit, ut quam primum resolutioni massa sanguinea ulteriori obex ponatur & impedita transpiratio restituatur, quo casu optime pulvis pleuriticus Mynsichti laudatur §. LXI. V. S. autem, nisi abundantia adsit sanguinis, cum cito periphericam laedat evacuationem, ejus sinister effectus in promptu erit. Copia vero sanguinis nimia, est maligna sit pleuritis, venæsectionem minime respuit, quin absolute efflagitat, post talem enim sanguinis missionem non solum insensibilis perspiratio excitatur §. XXVIII. sed etiam metus, a resolutione massa jam superflua sanguinea, evanescit: quod vero hæcce methodus experientia sit conformis docet PELARGVS in seinem ersten Medicinischen Jahr:Gang p. 42. Notes vero velim tibi cautelam a celeberrimo medico HENRICO MEIBOMIO datam, qui in *Epistola ad illustr. SCHELLHAMMERVM* scripta, quæ inter illas, quas ab interitu vindicavit, indeque, de re medica optime meritus D. D. PRÆSES meus, Fautor ac Præceptor ob multa singularia in me collocata beneficia æternum venerandus, edidit, est LXIII. medicos in sanguine mittendo meticulosos culpatur, unde inflammatio ad tantum surgeret gradum, ut symptomata malignarum febrium sequerentur, sicque malignæ sua culpa fierent pleuritides, quas ante falso judicaverint.

§. LXIV.

Classis pleuriticorum, qui infelici sanguinem miserunt exitu, valde augetur, si his adnumeres, qui morbum ex altero prægresso sibi contraxerunt. Quo referendæ pleuritides ex morbo exanthematico, vel mala curatione, vel incuria ægri retropulso, ex criticis & salutaribus excretionibus suppressis §. L. Totius tunc medicationis cardo in eo vertitur,
ut

ut ad interiora retrogeſſa ad peripheriam evocentur, & ſemper ægroti virium ratio habeatur, quæ, ſi morbus prægreſſus diu jam duraverit, phlebotomiam minime ferunt. Alia longe res eſt, ubi plethora moras excernendis neſcit, ut ſæpe in menſium & hæmorrhoidalis fluxus ſuppreſſione, ubi venæſectione nihil præſtantius: quamvis in poſteriori caſu applicatis hirudinibus ſanguis ſimul ad conſueta loca hæmorrhoidalialia invitari poſſit. Polypus ubi radices egit, exindeque pleuriticus dolor; hic quovis ſanguinis augmento facile rurfus apparebit, quare a novis inſultibus miſſione ſanguinis corpus optime præmuniatur.

§. LXV. Seria judicii æſtimatione ſi ea, quæ in præcedentibus §§. allata ſunt, trutines, nulla ratione venæſectionis absoluta neceſſitas admitti poteſt. Hinc & in hoc morbo, criteria, quæ ſanguinis miſſionem poſtulant, ad eſſe debent, nimirum abundantia ſanguinis, & ſanguis, licet adſit in ſufficienti quantitate, tamen rarefactus §. XXXI. His pro norma poſitis, ſi de venæſectione in pleuritide ad finem deduci poteſt. Cum itaque in tali plethorico ſubjecto, vel cui ob nimium ſanguinis motum interitus imminet, nil emiſſo ſanguine præſtantius §. XII. & XV; ſequitur, cum juvenes maximum pleuriticorum conſtituant numerum §. XXX, hi vero ut plurimum ſint plethorici, & ſi non ſint plethorici, tamen ob vegetiorem ſanguinis, ea ætate, motum, multa ominentur ſymptomata triſtiſſima, quod hiſce ſub limitibus V. S. ſacra pleuriticorum vocanda ſit anchora: & ſi a potiori numero ægrotorum, quos reſtituit medicina, concludere liceat ad ſpecifici antipleuritici nomen, nullus quoque dubito, quin V. S. illo nomine ſit digna. Hinc jure optimo refert ad venæſectionem ſupra memoratus H. MEIBOMIUS l. c. quod in praxi ſua pleuriticorum plurimos ſanitati reſtituerit.

§.

§. LXVI.

Signa itaque, plethoram adesse probantia, illamque morbi nostri causam antecedentem, declarantia, vel velocitate nimia agitatus sanguis, vitæ insidias fruens, id est, quando febris valde urget, subjectum, cui sanguis mittatur, & tempus, quando mittendus sit, determinant ac constituunt. Luci enim clariori expositum est, quodlibet subjectum, & tempus, quo dicta signa se produnt, cum sanitatis emolumento sanguinis missionem admittere. Stat pro hac parte GALENVS *de Curandi ratione per V. S. cap. 20. Quocunque enim die, dicit, mittendi sanguinis scopos in egrotante inveneris, in eo illud auxilium adhibeto, etiam si vel vigesimus ab initio is existerit.* Ex his patet ratio, cur nonnulli in nostro morbo ultra quartum diem sanguinem mittant. Morbus est inflammatorius: hinc si venæsectione resolvendus sit, fiat hæc quo citius, eo melius §. XXXI. facta autem suppuratione, resolutionis per venæsectionem tempus jam præterlapsum est. Quando itaque suppuratio bene procedit, nihil mutandum, sed illi providendum: si enim nihilo tamen minus sanguinis missio fiat; turbatur suppuratio, quod mox insequens suppressa indicat expectoratio: sunt enim vires, ad suppurationem antea validæ, jam misso sanguine debilitatæ. At enina vero dantur non raro casus, ubi etiam V. S. tempore suppurationis est administranda: ubi D. D. TRILLERVS merito illos declarat timidos, qui hõc datum tempus non transcendere audeant. Circumstantiæ enim variant rem. Febris enim tempore suppurationis tanta esse potest, ut, loco benignæ suppurationis, sphacelus & mors instarent: tunc audacter venam secare jubet §. XVI.: plenitudo etiam sanguinis nimia præponderare potest viribus, suppurationem molientibus, hinc eo usque minuenda, ut natura suum assequatur finem. Confirmat hoc experientia sua excell. TRILLERVS, qui optimo cum even-

eventu, die morbi quinto, sexto, septimo & octavo pleuriticis sanguinem detraxerit. *vid. l. c. §. XV.* videas quoque ægrotum ejus septimum & nonum: pariter quoque illustr. *van SWIETEN Comm. ad Boerhavii Aph. T. II.* meminit, se serius aliquando pulchro cum successu venæsectionem instituisse.

§. LXVII.

Licet justo tempore & subjecto, vena pertusa fuerit, malum nonnunquam esse non desinit, quin interdum incrementa sumit: hinc adsunt continuo causa, venæsectionem suadentes, quæque fundamentum repetendæ venæsectioni præbent. Miraris fortassis, morbi vim, demta jam aliquatenus causa, incrementum posse; sit tamen sequenti modo: dum in nostro morbo intendo stasin per venæsectionem solvere, nimia sanguinis moles sæpe non permittit febrem, inflammationem comitantem, percipere, misso vero sanguine, nec stasi soluta, vasis elater restituitur, hinc velocius movebitur sanguis, hinc major particularum sanguinis tam inter se, quam ad vasa attritus: unde crescit calor, & febre antea delitescente, jam sæviente, morbus exasperabitur. Hoc morbi augmentum, non a sola morbi causa producitur, sed quatenus illa, cum viribus sanitati adhuc integris, unita agit. Illustrabit hoc juvenis apud SYDENHAM *Prax. p. m. 683*: hunc febricitantem dixerat auctor, adstantes amici, quia corpus ad tactum non immodice calebat, ægre fidem dabant dicto, verum ob nimiam sanguinis molem latens febris, peracta venæsectione, emicabat, qua vehementiorem se non vidisse testatur, quæque non nisi quartæ phlebotomiæ cessit. Visites etiam D. D. TRILLERI ægrotos, qui hoc ulterius confirmabunt. Tenendum tamen, repetita tali venæsectione, magis benignam intendi suppurationem, quam absque illa staseos resolutionem. Manet itaque repetendæ venæsectionis argumentum, plethora nondum satis imminuta, vel febris nimia.

§. LXVIII.

Ponunt quidem auctores reiterandæ venæsectionis alia criteria, ut D. D. TRILLER *l. c.* §. XX. crustam albam, tenacem in sanguine pleuriticorum: quo usque illa apparet, eo usque reiterandam esse jubens venæsectionem, donec sensim diminuta fuerit aut plane evanuerit. Verum enim vero, quoniam hæc crusta alba, tenax, non semper in sanguine pleuriticorum adest, febris quamvis & nimia sanguinis quantitas adfit, hoc criterium non erit universale. Confirmat hoc celebr. c. H. ERNDTELIUS in *Warsavia sua physice illustrata* p. 194. reticendum tamen non est, inquit, aliquando, rarius tamen sanguinem pellicula non adeo alteratum ac defædatum esse, sed rubellum etiam educi, talemque post refrigerationem permanere, qualis tamen, si symptomata vehementiora febris atque inflammationis urgebant, me a repetitione missionis sanguinis minime absteruit. Pulchra plura habet ibi ad venæsectionem in hoc morbo spectantia, magnoque cum animi gaudio se invenisse testatur locum in litteris ad Schelhammerum datis, sententiam suam corroborantem, indeque honorifice illarum editorem, D. D. Præsidem meum, nominat. RIVERIUS *Prax.* p. 250. Signum repetendæ phlebotomiæ esse vult: *Si color sanguinis extracti sit brunus aut subcæruleus, V. S. repetatur, donec appareat ruber vel flavus; si vero initio sit rubicundus, reiteranda est V. S. donec brunum vel nigrum accipiat colorem.* Incerto sane, hoc a colore sanguinis desumptum Riverii signum, fundatur argumento, nisi respiciatur ad morbi magnitudinem: Inconcußum sic manet nostrum §. *antec.* indigitatum, quod & felix in febribus curandis artifex SYDENHAM *l. c.* p. 63. inculcat, dicens, *tali insigni remedio, ut est repetita venæsectio, non opus esse, nisi in temperamenti admodum sanguineis & ætate florentibus, aut qui nimio vini usu, inflammatoriam diathesin sanguini impresserunt.*



§. LXIX.

Opportuna hic se offert occasio de sanguine pleuriticorum mentione faciendi. Hic vase exceptus, statim dum refrigerat, induit crustam albam, subcœrulescentem, tenacem adeo, ut acutissimus culter vix eam dividat. D. TRILLER *l. c. §. X.* illum sanguinem interdum anserino jecinori facto, figura, colore, mole & consistencia vidit simillimum. Pellicula talis, in inflammatoriis morbis, sanguinem eductum fere semper tegit, frequentissime pleuriticorum, hinc a potiori nomen sanguinis pleuritici. Quo facilior sit aditus ad originem ejus investigandam, nonnullas prius de hoc sanguine adferre volumus observationes. Si sanguis mittatur morbi initio, aut primo die, nulla plane crusta apparet, aut tenuis saltem membrana, crassior vero adest, sanguine post aliquot morbi dies detracto; D. TRILLER *l. c. §. XXII.* Absert interdum in validissimis inflammationibus notante *van SWIETEN l. c. §. 384.* Sanissimis hominibus vernali tempore talis sanguis detractatus fuit, quem & in hæmoptico animadvertit *van SWIETEN §. 324. c. l.* Curiosa *SYDENHAMI* est observatio, scilicet, quando ex vena secta sanguis non recto rapitur flumine, sed perpendicularis repit, vel si apertura venæ fuerit parva, vel aliquid libere profluxuro impedimento fuerit, vel denique si sanguis eductus digito agitatus fuerit, dictam non induit crustam.

§. LXX. Hoc sanguinis pleuriticorum phænomenon exercuit in reddenda suæ originis ratione medicorum ingenia. Verum rite observationibus examinatis, non adeo difficile esse judicamus, si non certam, vero tamen simillimam eruere causam: hæc quippe crusta, cum non adfit, si initio morbi sanguis mittatur, sed morbo jam adulto apparet, motu vero sedato iterum solvatur; effectus morbi erit dicenda. Febris enim inflammationem comitans pulsû duro, frequenti ac celeriori sanguinis motu, hinc intensiori corporis ardore, multa humida ex massa sanguinea dissipat, remanente gelatinosa ejus parte, quæ eandem, ut albumen ovi, possidet indolem: quare si tunc educitur sanguis, sponte in coagulum

abit cum viscida tali superficie. SIMSONIVS, quem acutissimum laudat *van swieten*, ea in opinione versatur, talem crustam ortum suum ex chylo non satis sanguine subacto deducere. In morbis pectoris, ubi actio pulmonum valde læditur, chyli subactio cum sanguine non eo, quo decet modo, procedit. Quando itaque in pleuritide emittitur sanguis, a quo vehementissima febris aquosi multum sustulit; verò proxime accedere videtur, crustam illam albam, tenacem chylo, gravitate sua reliqua humorum massa specificè leviori, ob aquosarum vero partium absentiam, cruori eò firmitus adherenti, natales suos debere. Læsa sanguificationi quoque erit tribuenda cuticula, sanissimorum hominum educum sanguinem tegens: nisi sit a motu corporis animali majore. Sanguificatio enim est actus, quo chylus albescens in rubrum mutatur colorem. Huc facit præcipue, tam intimior ejus cum reliquo sanguine mixtio, quam bilis, debita quantitate, affusio: hinc in hominibus, qui sani videntur, re autem vera hoc titulo minime gaudere possunt, vasa cum sæpe sint debilia & ductus biliarii pinguedine obsiti, ratio descædati sanguinis coloris obvia est. Albissimus liquor loco sanguinis sæpe ea venis evacuatus fuit, ut perhibet *LUCAS SCHROECK in Eph. N. C. Dec. II. A. XI.* & *ZWINGER Theatr. prax. P. II. p. 2.* Actio pulmonum in hæmoptycis læsa, causa male colorati horum sanguinis esse potest. Quod in validissimarum inflammationum initio cuticula absit, ratio erit, quia tunc non tam multas aquosas sanguis perdidit partes, ut in coagulum abire possit cum tali tenaci crusta; si vero in progressu morbi, nulla talis prodeat cutis, malignitas morbi in culpa est, ubi putredine massa sanguinea inquinata florida & rutilans manet, de qua *sequens* §. agit. *SYDENHAMI* vero experimentum *ATRILLEROL. c. §. XXVI.* sæpius repetitum, veritati non respondit.

§. LXXI.

Gravissimis in inflammationibus dum vena tunditur ægro-
tanti, egreditur interdum sanguis, colore rubente, oculis blan-
diens.

diens, sano simillimus, nullaque crusta defœdatus: pari modo in pleuritide sic se habet. BAGLIVUS cum amico LANCISIO, mali omnis hunc sanguinem in dicto morbo pronunciat, pervasum sibi habens, crustam pleuritico sanguini consuetam, in pulmonibus remanere, illosque infarcire. vid. BAGLIVUS *l. c. §. 37.* D. TRILLER hisce viribus calculum adjicere non vult, quin potius *l. c. §. 25.* impense gratulatur medicis de statu tali ægrotorum. Anceps tamen admodum hæreo, an medici hoc votum semper grato agnoscere possint animo. Conditio enim talis in hoc morbo sanguinis, si initio adsit, nec epidemica constituto de periculo monet, utique non est extimescenda, verum cum vehementia febris jam aliquando sæviit, vel maligna morbi epidemica constitutio de putredine, massæ sanguineæ communicata, suspicionem movet, miser ac funestus ægrotorum declarandus est status. Absolutissima hujus argumenti pertractatio, quam optimus Præceptor Præsesque gravissimus in *Diss. sua de Pyromania, P. IV.* exhibuit, me ab ulteriori, quoad hujus sanguinis ortum, explicatione liberat.

§. LXXII.

Locus, ubi vena secanda sit in pleuritide, jam erit indicandus. Hunc experientia sola determinare nequit §. LIV, ergo ratio illum demonstrat. Ratio venæsectionem non admittit, nisi plethora adsit, vel nimia febris impetus urgeat §. LXV; hinc quælibet vena erit secanda §. XXV. Cum vero pleuritis sit inflammatorius morbus; derivationis scopo, initio morbi, aliquid indulgendum §. modo cit: unde V. S. in latere affecto erit præferenda, & quidem ea, quæ proxime arteriæ, in cujus ramis obstructum hæret, continua est, vena aperiatur §. XXII. Nulla alia vena, arteriæ obstructæ proxima, venæsectioni apta hic adest, quam vena brachii. Tres sunt brachii venæ, quas secare mos est, ut cephalica, basilica & mediana, ab axillari provenientes, cujus rami cum venis intercostalibus & venæ azygæ germinibus multis modis coeunt §. XLV. Si itaque, demta, per venæsectionem in his, resistentia, tanta in arteriis intercostalibus excitari poterit celeritas, ut stasis, promotis in venas globulis, discutiat, derivatio optatum editura est effectum.

§. LXXIII.

Largimur vltro, venam, quæ hoc casu tunditur, longo satis inter-

tervallo distare a loco, quo obstructio hæret, hinc animus facile dubius reddi possit, an derivationis effectus huic negotio par sit. Notatu autem dignissima illustris WERLHOFFII observatio, *Comm. littir. Noric. An. 735 p. 181*, inserta, tibubantem confirmabit mentem. Chirurgus secabat venam, pleuritico ex dolore dextri lateris, oppositi sinistri brachii, medicus superveniens floridum exsilientem sanguinem videns, vulnus claudi, & in dolenti latere venam aperiri jubet, & en! octo adhuc uncie sanguinis flavi, fere plane crustosi, qualis in summa pleuritide ad esse solet profluere, momentaneo cum leuamine & felici deinde morbi sanatione. Nullam hujus observationis rationem, si derivationem excipias, video. D. TRILLERUS quoque affirmat experientia sua, venæsectionem in brachio dolentis lateris majus ægrotis attulisse leuamen ac si opposito loco facta sit. Cum plethoræ immunitio præterea tam ex hac, quam ex alia vena, obtineatur; venæsectio proxime, ubi stasis hæret, peracta est optima, quandoquidem illam & derivando, & phethoram imminuendo soluit. conf. GUALT. HARRIS in *Diss. de Venæsectione in pleuritide*.

§. LXXIV.

Omnia, quæ transitum ex obstructis arteriis in venam faciunt, ad feliciorum derivationis eventum ducunt §. XXII. Hinc apprime convenit brachium ante incisionem laneis pannis calidis fricare, sub ipsa sanguinis missione digitos movere, & quod optimum expertus est illustr. van SWIETEN *Comment. ad Aph. Bærbau. §. 141*, affectum latus perfricare & pectus movere: pectoris motum dum reformidant ægri; liquore, quo inuiti tussiant, sunt decipiendi, ut aceto, vel vino calido naribus admoto.

§. LXXV.

Nec VESALII argumentum, de mittendo sanguine in dextro latere, nos dimovebit a sanguinis, in loco, ubi dolet, proximo missione. Innititur enim auctoris opinio futui venæ azygos in dextro magis, quam in sinistro thoracis latere, qui vero falsus est §. XLV. Præterea in sinistro latere intercostales venæ, non ab azyga prodeuntes, propius accedunt venis, in brachio sinistro, quam in dextro, secandis: hinc argumentum non procedit; quod etiam ab EUSTACHIO *Antigr. XVIII.* refutatum videas.

§. LXXVII.

§. LXXVI.

Primo tantum morbi initio, medico ad obtinendam staseos discussionem, per derivationem spes fit: morbo vero ingravescente & progrediente & ubi suppurationis signa jam prodeunt, alio intuitu, per solam massæ sanguineæ imminutionem obtinendo, vena secatur, vel ne nimia sanguinis moles naturæ, morbo suppuratione exitum paranti, impedimento sit, vel ne admodum luxurians sanguinis motus, loco blandæ suppurationis, sphacelum aut mortem inferat: quare tunc temporis vel in brachio, vel in pede, & dolentis & oppositi lateris venæsectio institui potest. Diversis sic morbi periodis instituta V. S. variis, de vena secanda, sententiis ansam præbuisse, verosimillimum est.

§. LXXVII.

Quantitatem mittendi sanguinis in pleuritide certis unciiis, mensuræque adscribere velle, temerarium esset. SYDENHAM quidem primo ad uncias decem aut circiter, sanguinem mittit, cui assentitur TRILLER *l.c. §. XXI.* Primus simul testatur, in adultis, pleuresin confirmatam, infra XL. unciarum sanguinis jacturam raro sanari. Verum hic egregius vir minime contrarius videtur regulæ, quantitatem optime determinantis. *Robur & vires ægroti & morbi consideratio mensuram docet.* quo pertinet, quando dicit: *mensuram sibi solemnem esse, eam duntaxat sanguinis quantitatem detrabere, quantum conicere licent, quæ ægrum ab incommodis, quibus immodicam ejus commotionem obnoxium esse diximus, incolumem præstet.* Prima, & quidem initio morbi, facta V. S. si vires ægri ferunt, larga, quin ad animi deliquium fit: restituitur enim hac elater arteriarum & motus vaforum naturalis vegetior fit. hinc retrocessio obstruentium globulorum faciliior §. XXVI in aliis V. S. melius iteratur §. XXXI, & quidem in quibus sanguis, non adeo abundans, nimis urget motu, ubi ita compefcere debet, ne ad morbum profligandum postmodum plane impar sit.

§. LXXVIII.

Quamvis pleuritis notha benigniora experiatur symptomata, nec internam pleuræ inflammationem pro sede agnoscat, sed externas thoracis partes, vel destillationes saltem ad pleuram, & musculos intercostales §. XLIII; attamen quando corpus sanguine abundat, venæsectionem non dissvadendam esse, ex prægressis fatis liquet. Hac in pleuritide usus scarificationis eximios præ-

præstat affectus: nam multiplici hac arteriarum incisione in loco, uti dolet latus, sequens a tergo sanguis, a loco inflammato non tantum arcetur, sed etiam cucurbitularum impositione stagnantes evocantur humores §. XXXI; sicque doloris causa tollitur. Talem scarificationem & veram pleuritidem admittere, & ratio dicti-ctitat & experientia loquitur; LANCISIUS testatur, cucurbitulas, supra locum dolentem, cute prius incisa, tam in vera, quam in spuria pleuritide applicatas, interdum, post præmissam venæsectionem, incantamenti instar, dolores mitigasse: addit vero cautelam, ne fiat tempore, quando sputum jam critice erumpit. CELsus *L. IV. cap. 6.* commendat scarificationem vel in leviori vel in vetustiori pleuritide, ubi sanguinis missio supervacua vel fera sit. Sic a multis scarificatio commendatur iis, qui venæsectionem abhorrent, de quo pluribus vid. LENTILIUS in *Jatromnem.* p. 642.

§. LXXIX.

Considerata & perlustrata sanguinis missionis in pleuritide vi, lis de ejus absoluta necessitate & certo adhibendi loco ad liquidum perducere potest. Fatendum enim, etsi V. S. egregium in hoc morbo sit remedium, minime tamen esse absolutum §. LXV; & solam necessitatem a plethora & febris vehementia dependere, quarum præsentia subjectum determinant §. LXVII. Porro affirmandum, quia morbus est inflammatorius, venæsectionem in initio morbi in brachio dolentis lateris esse præferendam §. LXXII & LXXIII., ceteris si fiat diebus, locum eidem relinquere arbitrarium §. LXXVI. Patet præterea, ægroti & morbi vires inter se collatas, quantitatem mittendi sanguinis determinare §. LXXVII; hinc felicem morbi curationem a solida morbi & subjecti cognitione provenire. De cetero lubrico admodum fama pleuritidi medentis posita est loco, certum medici in hoc morbo opprobrium venæsectionem dicit celebr. ALBINVS in *Diff. de Morbo hungarico: eque enim, sive venam secet, sive non, a vulgo culpatur. Si sanguinem non miserit, hæc omisso subsequente mortis causa est. Sin miserit sanguinem, piaculum erit, in illa virium imbecillitate sanguinem detraxisse: quicquid egerit, mortis reus erit.*

* * *

Bo A 6421



f

Nr. 11 nur

verknüpft

TA-20L


R

1028

VD 17







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

17 17

O INAVGVRALIS
DE
IS MISSIONE
EVKITIDE,

QVAM
MINIS AVXILIO,
ORVM ORDINE FAVENTE,
E S I D E
IMO EXPERIENTISSIMOQVE
ANO STEPHANO
FFELIO,
VBL. REG. ORD. CELEBERRIMO,
D ET SENIORE, NEC NON TOTIVS
TSENIORE GRAVISSIMO,
ORE ÆTATEM DEVENERANDO,
NA HONORIBVS CAPESENDIS
VEMBRIS MDCCXLVII
VM EXAMINI SVBMITTIT
VCTOR
SPAR SCHEURING
SWALDENSIS.

TERIS H. J. STRUCKIL

17

